



POESIS HEROICA; ET ELEGIACA.




AUCTORE

JO. BAPTISTA CONTI

Societatis Jesu.








ROMÆ, Ex Typographia Antonii de Rubeis in Platea Cerensi. MDCCI.

Superiorum Permissu.

AD LECTOREM





U Æ vides hic Lector humanissime super argumento multiplici descripta tum Heroïcis numeris, tum Elegiacis Carmina, universa jampridem junior lusi, dum scilicet utebar, fruebarque florentioribus perinde annis, atque studiis. Illorum ergo editionem in seram magis ætatem distuli, quando severiorum disciplinarum meditatio jure sibi suo experrectiores, si quæ sunt, animi mei vires jam vendicat. Quamobrem non indiligens videri tibi possim horatiani illius observator præcepti, quo cautum est sapienter, nonum ut in annum privatim contineantur pressa, quæcunque publicæ lucis destinatione sunt scripta: quinimmò præcipienti Horatio plusculum etiam fortasse censear obsecutus, quàm ipse postulare sit ausus. Veruntamen juvat me, quod res est, apertè, fidenterque fateri totum, cùm præsertim planior confessio ad demerenda tuæ humanitatis officia sit mihi, ut equidem spero, tempestivior futura. Multos sanè per annos hujuscemodi scripta apud me detinui, non eo tamen consilio, ut tamdiù morante, atque adeo morosa censuræ sedulitate iis jugiter recognoscendis, & recudendis insisterem. Neque enim ad id affatim operosi laboris otium mihi fuit, quantum opus fuisset; siquidem horarum, & curarum impendia aliis rerum indaginibus præcipuè debeo. Accedit, quod verissimum est illud, nostræ mortalium imbecillitati satis abundè compertum: omnia fert ætas, animum quoque. Profectò quàm multa de nobis & mentis & corporis bona anni nostri, quasi levis armaturę milites rapidissimè transvolantes prædantur! Accedit insuper, quod

nostra ipsa in immensis bonarum litterarum curriculis qualiacunque incrementa (si metiri nos, resque nostras modico veritatis pede, non ambitionis decempeda voluerimus) decrementa quaedam aut saepe, aut semper esse, inficiari omnino non possumus. Philosophiae, vel Mathesi, vel Theologiae operam navare suam Rhetorum fortè, vel Poëtarum quisquam instituit? Is enimvero Rhetorem, vel Poëtam dediscat paulatim, & exuat, erit prope necesse: illae quippe acutiorum doctrinarum spinosae commentationes (immane quantum) asperitate sua ingenium nostrum exasperãt; ut eloquentiae seminibus, floribusque uberiore satu jampridem ex Academia susceptis tanquam solum subinde marcrescens, & sterilescens minus copiosè respondeat. Videlicet purae, putae quaestionum, ac theorematum subtilitates, omnis elegantiae, pigmentorum omnium expertes, omni succo, & sanguine penitus cassę exhauriunt plerumque, & exiccant quidquid est in oratione vividius, & festivius; suique nimium studiosis quamdam denique dicendi, aut scribendi Socraticam severitatem, ac penè tristitiam inurunt, ossibus quidem ac nervis consistentem suis, ceterùm usquequaque strigosam, & corpore nullo coopertatem, aut coagmentatam; ut si quid dictum ab Sapientibus illis, scriptumque fuerit, continuò totum pugnae, totum expugnationi intelligas datum, nihil pompae, nihil delectationi. Ad haec itaque spineta meliorem annorum, ac studiorum meorum partem cum deteram, fieri quì poterat, ut in hisce scriptionibus meis excolerem quaecumque inculta, aut impolita; complanarem quaecumque biulca, aut lacunosa; demulcerem quaecumque praerupta, aut confragosa deprehenduntur? Nihilominus post vernantis aetatis decessum si quod adhuc tot inter spinas vel tenuissimum ex Parnasso specimen

amoeni-

amœnitatis, & florum reliquum mihi sit, id omne conatus sum, quoad tempore exclusus potui, pagellis hisce meis aspergere quadam limæ si non patientia curiosa, qualis in otio diuturniore animis feriatis conceditur, at saltem festinatione non prorsus incuriosa, qualem conquisita hinc inde subsecivarum horarum compendia vel maximè distentis animis quandoque permittunt. Talia porrò præfari eò visum est, ut quisquis carmina hæc mea perbenigna lectione dignaris, benigniori tandem & venia digneris Authorem: qui secum interim præclarè actum putabit, dum planè intellexerit, si minus laudatum sit opus, fuisse tamen apud te, & abs te non minimè excusatum opificem. Id tu officiosè rem æstimans, voti modestiam dixeris; sed vera censenti voti dicetur modus, ad curtæ supellectilis modulum convenienter exactus, Cerdone, quod ajunt, secum habitante, seque ipsum intra pelliculam suam tenente; quem proinde si tantùm non culpaveris, justè facies; si etiam laudaveris, indulgenter.

DOMINICUS BERNARDINIUS

Societatis Jesu in Provincia Romana Præpositus Provincialis.

CUM librum, cui titulus: *Poesis Heroica, & Elegiaca*: à P. Jo. Baptista Conti nostræ Societatis Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate nobis à P. N. Thyrso Gonzalez Præposito Generali ad id tradita, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ has litteras manu nostrâ subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus. Romæ die 19. Septembris 1701.

Dominicus Bernardinius.



Imprimatur,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac. Pal. Apostolici.

Dominicus de Zaulis Episc. Verulanus Vicesgerens.



Imprimatur.

Fr. Cæsar Ludovicus Saminiati Sac. Theol. Mag. & Reverendiss. P. Fr. Paulini Bernardinii Sacr. Pal. Apost. Mag. Socius Ord. Præd.

HE-

HEROICA

LIBER PRIMUS.

HErodes Rex dum è regni potestate timet dejici in tantam ipso ex timore audaciam impotentissimè agitur, ut de potestate mentis videatur penè dejectus. Innumeros mactari jubet infantes: interim ut è furiali turbine Herodiani hujus furoris impunè tollatur infans Christus; non Cœlo Herodem fulminante, sed opportunè Josephum monente, in Ægypti terram clanculum asportatur. Ea ex jactura dolor, luctusque Pastoris Bethlemici pastorali carmine in hunc ferè modum describitur. Amintas Bethlemius Pastor ex Bethlemiis finibus procul discedit. In eum subinde lamentantem Mopsus Pastor Ægyptius fortuitò incidit. Quapropter multis, ut assolet, ultro, citroque habitis verbis per nonnulla inter colloquendum indicia Amintas ex Mopso non obscurè cognoscit, Christum Infantem apud Ægyptios jam degere: ac tandem Mopsi ejusdem suasu, ductuque in Ægyptiorum Regionem proficiscitur.

Hæc in Ægyptum Infantis divini asportatio tunc accidisse ab Scriptoribus sacris narratur, cum ex Bethlemia Regione jam illum Parentes abstulerant, & in Civitate Nazareth collocaverant. Pastor tamen Amintas representatur tanquam existimans, Infantem illum, ut in tutum reciperetur, ex Bethléem

in Ægyptum protinus asportatum fuisse: quod & Pastoris imperitiæ nequaquam incongruens, & ejusdem querimoniis exprimendis congruentissimum est visum.

Christi Infantis in Ægyptum asportatio.

CARMEN I.

Pastores colloquuntur Mopsus, & Amintas.

HErodis rigido concretum robore pectus
Dum sibi Idumæi metuit dispendia regni,
Exitiale vomit furiato è corde venenum,
Effunditque ignes, & funere mergit acerbo
Heu teneros fætus, crescentesque atterit annos.
His pariter fatis ne magno æquæva Parenti
Succumbat proles, primoque in limine lucis
Concidat immani non debita victima Regi;
(Ipsa etenim graviore gemens sub fasce laborum
Nobiliora petet pulchram per vulnera mortem,
Et cadet æterno tandem nova victima Regi)
Festinant pavidi tenera cum prole Parentes
Linquere Nazaream sedem; Phariique Canopi
Regna petunt tacitæ per amica silentia noctis.
Pastor Idumæus, dudum cui nomen Amyntæ
Fecere Agricolæ, diros cognoscere casus
Cum datur, amissam queritur, sua gaudia, prolem
Deliciasque suas raptas sibi, questibus urget.
Teq; adeo, imbelli saturas qui sanguine ferrum;
Cujus ab imperiis exterritus heu fugit Infans,
Infans Cœlicolum, & Bethleæ gloria Gentis:

Improbe Rex te nunc crudelem̃ nomine dicit.
Atq;has,perq; rubos,perque avia lustra,querelas
Dum miscet solus, dum murmure jactat inani,
Protinus arcanis spelunca recessibus ingens
Adfuit: hìc fugiens lugubre per aspera murmur
Saxa ciet rivus, sterilesque humectat arenas;
Tum liquidũ involvens frondentibus aëra ramis
Submoto latam dat lucus Apolline noctem.
Ergo ubi squallentes nigra formidine sedes,
Immanesque videt sylvas formosus Amyntas,
Dirigit huc iter, atque antro succedit aperto
Indulgens noctis,nemorumq; silentibus umbris.
Cũq; hìc multa gemit, resonat plãgoribus antrũ,
Aërei colles, crebro per confraga pulsu
Clamores referunt, respondent omnia silvæ.
Interea Mopsus reptat per opaca locorum,
Atque resultantem per concava saxa ululatum
Accipit attonitus duræ propè limina rupis,
E terra Mopsus veniens Memphitide Pastor.
Utque specus viridi sub fornice cernit Amyntã,
Implentemq; audit vacuas clamoribus umbras,
Mopsus. Heus,inquit,tanti quænam tibi causa doloris,
Dic, age, quisquis es,ò qualem te nomine dicam,
Silvestris puer? ecquæ tantis dira querelis
Fata doles? qua sorte miser, casuve laboras?
Num te damna gregis,dulcis num funera Matris
Impellunt gelidis questus jactare sub antris?
Dic, age; ne tacitum foveas sub pectore vulnus;
Proderit abstrusas animi laxare latebras,
Atque altè infixum verbis efferre dolorem:
Ægros verba juvant,cumulantque silentia curas.

Pinguia, ni fallor, lętos armenta per agros,
Et mites ovium fętus tibi cura tuendi:
Os, habitumque geris, silvestris qualia pubes.
Me quoque, grex oviũ pascebat prata, Magistro:
Mopsus ego in silvis fama super æthera notus,
Quàque parethonio latet obrutus alveus amne,
Quâque superfuso lætantur rura liquore.
Finibus è patriis, parvique è culmine tecti
Ecce palestinas venio nunc visere terras.
Amint. At me palmiferæ jamdudum campus Idumes
Molle pecus viridi compellere vidit hibisco;
Tondebant plures, me tum custode, capellæ,
Florea tondebant plures dumeta juvenci;
Plurima servabant pavidas mihi septa bidentes;
Innumera & Matrum balabat ad ubera proles:
Nec pecoris custos, nunc sum, nec lactis abũdans;
Adversis agitor fatis, sum tristis Amintas.
Hei mihi nunc misero tabescunt lumina fletu:
Credimus haud nullo ductũ te Numine nigrã hãc
Adventasse specum, atque hęc invia tecta ferarũ;
Sis felix, miserumq; leves quicumque dolentem:
Et quibus in terris doceas, quibus Orbis in Oris
Inclytus optatam sedem sibi legerit Infans,
Dulcis amor Pastorũ, Infans, mea maxima cura,
Æternũque, Infans, decus, & mea sola voluptas:
Cujus in aspectu mihi candida lilia sordent,
Et violę molles, & suave rubens hyacinthus,
Quotque in flore novo pratis nascuntur honores.
Quęnam dives alit tellus? magalia quænam
Suscepere suo nostros sub culmine amores?
Dic, formosę Puer, profugã nũ fortè per Urbes,
Aut

Aut inter silvas, montanave culmina circum
Vidisti dudum tenerà cum prole parentem?
Qui prȩit, is fidus comes est, cui conjugis almæ
Cura est virgineum Superis servare decorem:
Huic nuper croceos cani violare capillos
Cœpere; infirmos baculo jamque admovet artus.
Mopsus. Sed tamen iste Puer qui sit, da dulcis Aminta;
Si qua cupido tibi miserandum exponere casum.
Amint. Si nescis, Deus ille Puer, qui nuper ab astris
Venit, & humanos artus in Virginis alvo
Induit, & parvæ Bethles cunabula parvus,
Pauperis & tuguri nigrum sine nomine culmen
Incoluit; pecudum haud horrens cõmunia tecta;
Cõmuneq; larem Divũ Pater, atq; hominũ Rex.
Mops. Ipse ne quȩ modo sic memoras, spectacula prȩsẽs
Novisti? num fama tuas tantùm impulit aures?
Amint. Hȩc utinã mihi fausta dies spectacula nunquam
Ostendisset, amor nunc me non tristis haberet;
Non me nunc lacrymis vitam, luctuq; trahentem
Aspiceres saltus inter, lucosque rigentes;
Pastorum dum læta Cohors per aprica vagatur
Terrarum, plaususque animosq; ad sydera tollit,
Quæque libet, calamo certatim ludit agresti,
Et virides resonare docet sua carmina colles;
Aut ubi summa levi villarum culmina fumo
E pastu revocant vigiles ad tecta Magistros;
Continuò repetitque casas, Cereremq; canistris
Depromit; dapibus mensæ cumulantur inẽptis.
Pars silicum venis excudunt semina flammæ,
Excipiuntque ignem foliis; pars pinguia circum
Nutrimenta parant, & coniferas cyparissos;
Vul-

Vulcanumve morantẽ & flatu, & follibus urgẽt;
Mẽbra subinde focis refovent, hyemẽq; repellũt;
Dein cœnæ accingunt sese, dapibusque futuris:
Mitia pompa parãt alacres, vescumque papaver,
Cerea pruna, nigris hærentia mora rubetis,
Et pira, quæ junco pendent religata recenti,
Castaneasque nuces, & pinguis pocula lactis:
Mox victu revocant vires, & corpora curant.
Tum quò festivis hilarent convivia ludis,
Dant motus incompositos, agitantque choreas,
Inque vicem tenui carmen modulantur avena.
Et mihi silvestri nuper convivia ludo
Ante focũ, cum bruma foret, cũ messis, in umbra
Arrisere (alius ludit dum carmine pastor)
Horrerent quamvis hirtis mantilia villis,
Ipsaque sorderent incultis fercula donis.
Hei mihi qualis erã! Quæ sors me culmine tanto
Dejectum subitis involvit sæva procellis!
Quæ mihi tam tristes tristissima fata dolores
Incutiunt, rapiuntque sereni gaudia ruris;
Desertisque jubent miserum considere terris
Pulsantem vacuas nequicquam fletibus umbras,
Atque cavas mæstis ferientem questibus alnos!
Dive Puer, quæ te crudelis jussa Tyranni,
Quæve odia, aut livor quantus quantusve furoris
Impetus heu natale solum te linquere cogunt!
Haud humana illum nutrix; in cautibus illum
Vel truculenta aluit tygris, vel dira leæna;
Scylla fretis illum latrantibus expuit, Orbi
Exitium latura: aut extremi Garamantes,
Caucaseæ aut rupes portentum immane dedere.

Abstu-

Abſtulit heu riſum nobis, & dulcia tecum
Gaudia, dum noſtris te cedere compulit agris.
Sæpe tua in ſomnis mihi nota recurrit imago;
Te mihi ſæpe puer, te ſomnia noſtra reducunt,
Et te nunc matris pendere ex ubere, nunc te
Jucundo monſtrant matrem cognoſcere riſu:
Sed non longa ſatis mendax dat gaudia ſomnus.

Mopſus. Parce precor, fædare genas, fletuſque ciere
Fletibus, effuſumque dolorem augere dolendo.
Quĩ tu aliquid memoras, curas quod demere tã-
Quodque tibi mæſtum ſolari poſſit amorẽ? (tas
Me juvat interea verbis advertere mentem.

Amintas. Ni curas te Mopſe piget cognoſcere noſtras;
Expediam, pauciſque ſequar faſtigia rerum.
Jam medio carpebat iter nox humida cœlo,
Cum ſilet omnis ager, nemorũq; arbuſta quieſcũt
Flatibus haud ullis agitata Eurique, notique;
Cum pecus agreſti ſuffultis artubus herba
Tempeſtiva capit deſſeſſæ oblivia vitæ:
Nuncius ecce venit ſuperis delapſus ab oris,
Quò bona ſilvarum pubes deducere pingues
Conſuevere greges; ſurgit dum veſper Olympo,
Atque domum revocat diſtentas lacte capellas.
Hic nos tunc ovium curam, hędorumq; gerentes,
Et vigilem gelido degentes ſub Jove noctem;
Bethleos intra muros ſub rupe cavata
Perpulit æterni parvas inviſere cunas
Numinis, atq; antrũ conſternere fronde virenti.
Tùm quò juſſa vocant Superũ; juvat ire; Deoque
Certatim Puero ſua munera quiſque paramus.
Pars nivei ſecum defert ſpumantia lactis

Cym-

Cymbia, cumque suo mollissima subere mella,
Et matrum nuper depulsos ubere fætus.
Pars defert lauro, & foliis vivacis olivæ
Protectam, & siccis intactam aquilonibus uvam,
Canaque, quæ multa squalent lanugine poma.
Cura aliis facilem juncum, lentamque genistam
Colligere, & tenues operosè intexere cistas,
Queis parva agresti cumulent munuscula ritu...
Pars quibus aeriæ nidum posuere palumbes
Sedibus, observat; tum dulcia pignora matri
Detrahit; ut puerũ donet, divamque Parentem.
Pars viduat silvas; & quæ se plurima silvis
Induit in folia, & ramis felicibus exit,
Diripit hinc palmã, hinc viridẽ cũ baccare mirtũ.
Quæritur & lentiscus, & udi vimen acanthi,
Calthaque, narcissusq; & dẽsa comas therebintus;
Et quæcunque ferunt campi, quæcumque Sionis
Fertilis ora creat: vel quę Jordanidos undæ
Ripa parit flatu tepidi fæcunda favoni.
Dona parant alii cælesti pocula nato,
Pocula mentoreo non insignita labore,
Eois pretium non ostentantia gemmis;
Rustica sed docili quæ finxit dextera limo,
Atque ansas circum viridi vestivit acantho;
Necdum quisquam illis admoverat uvida labra.
His properè exactis, congressi protinus omnes,
Unà omnes tentamus iter data fata secuti:
Denique sub tophis Bethlæũ immanibus antrũ,
Numinis Ætherei sedei ostenditur; ac tùm
Gratamur dulci promissæ munere sortis,
Ducentesque choros sacræ propè limina sedis
Læ-

Lætitia miſtas jactamus ad æthera voces.
Mox ardor ſubit alternis tentare camænas,
Atque levi ſtipula diductum effundere carmen
Deinde omnes læto ſubeuntes agmine rupem
Tendimus haud dubios ipſa ad præſepia greſſus.
Parva ſed infantis cunabula maximus Ægon,
Ægon Bethlemii paſtor celeberrimus agri;
Cui mille intonſis errant in montibus agni;
Ipſe petit primus, ſequimurque ſubinde minores.
Ergo progeniem magni Genitoris in arcto,
Stramineoque toro aſpicimus ſub rupe cubantẽ,
Et borea afflatam brumali, & triſtè cientem
Heu gelidas nimium teneris vagitibus auras.
Tum Matrem, expoſitis prolẽ quæ ſuſcipit ulnis,
Et blandè indulget frigentibus ubera labris,
Virginei aſpicimus vernantem flore pudoris.
Te quoque, cui floris tutela eſt credita tanti,
Cui tantæ prolis cecidit cuſtodia ſorti,
Fortunate Parens humili ſpectamus in antro,
Haud humiles tacito verſantem pectore curas.
Nec procul à cunis lento quæ vimine textæ
Æternum excipiunt ſubſtrato gramine Regem;
Quadrupedum par vile cubant, hi pectus anhelũ
Regis in obſequium laxant, & frigora brumæ
Contendunt arcere tepentis flamine cordis.
His commota ſuper ſilvarum læta juventus
Quot Puero attulimus ſilveſtria munera plenis
Fundimus è calathis; calthã, mirtumq; & acãthũ,
Exerimus pariter quos dant & ovilia fætus,
Exerimns poma, & fruges, ramoſque comantes;
Aſpera tum junctis ornamus limina ſertis,
Queis

Queis aſperſa domus jucundo riſit odore:
Libamus pueri teneris mox oſcula plantis
Oſcula ſinceri certiſſima pignora amoris;
Cum gregibus læti tum noſtra in tecta redimus:
Et noſtris iterum tum cantibus aſſonat æther.
Mopſus. Quis divam prolem cæliq; Erebiq; potentem
Cedere Bethlæis è finibus impulit? ille,
Ille quidem hyrcanas æquat, me judice, tigres.
Amintas. Edita quæ ſævi fuerant ſæviſſima Regis
Juſſa, Paleſtinas vaſtantia cædibus ædes,
Divinam prolem noſtris è finibus arcent.
Ille quidem hyrcanas ſuperat me judices tigres.
Cælicolum Regi rabida dum mente Tyrannus
Ultima fata movet, dirumque immittere ferrũ
In jugulum inſontis meditatur; protinus omnem
Spem Deus eluſit, riſitque immania vota:
Attamen ille & vota, & ſpẽ uſque inſiſtit eamdẽ
Audaci nimirùm animo, ſtolideque feroci;
Infantumque implet bethleos ſanguine vicos.
Continuò mileſque minax, torvuſque ſatelles
Irrumpunt juſſæ ſtimulante cupidine cædis;
Impiaque Herodis raptim mandata faceſſunt.
His ſobole heu tenera certũ eſt orbare parentes
Et teneræ ſoboli ſurgentia rumpere fata.
Opprimit hic bimũ, lactentẽ hic opprimit hornũ;
Ille locum gladio certos deſignat in ictus,
Par vaque vibrato figit præcordia ferro.
Querentẽ hic matris, prenſantemque ubera vellit
Matris ab uberibus, lapidique illidit acuto.
Hic ferruginea trajectum cuſpide, palmis
Diſcerpit, preſſoque innitens mox pede calcat.

Ter,

Ter, quater ille fodit repetitis viſcera plagis,
Viſcera, quæ niveo commiſtum lacte cruorem
Protinus ejectant, laceros dilapſa per artus.
Ille Lupus velut indomitus, quẽ ſanguinis atrox
Ingluvies ſiccis per ovilia faucibus egit;
Bethlemios diro ſcrutatur Marte Penates,
Obvia quæque metens natorum corpora; at illi,
Quos nondum natura metu cuſtode tuetur,
Hoſtiles acuunt teneris vagitibus iras.
Cervicẽ hic tenerã, hic frontẽ petit, ille ſub ipſis
Vultibus, aut jugulis condit lactentibus enſem:
Fuſa jacent paſſim puerorum viſcera; crebris
Vulneribus ſquallent laniata cadavera paſſim;
Aggeribus ſtrages cumulantur. Limina Rachel
Heu Rachel miſeranda parens tua limina multa
Cæde madent, calido ſpumant & ſanguine rivi;
Sanguine & ipſa natant undantia cõpita; & ipſa
Semita congeſtis denſatur corporum acervis.
Undique tum miſeræ natorum in funere matres
Fœmineis reſonant ululatibus. Æthera clamor
Pulſat, & effuſis miſcentur tecta querelis.
Hæc ſine lege vagos evellit vertice crines;
Impos & illa ſui, palmis ſua pectora tundit,
Procumbitque ſuper confuſæ ſtragis acervum.
Illa artus natorũ, & membra extincta retractat,
Atque manus, atque arma vocat crudelia Mater;
Quæ Matrum cæco turbarunt tecta furore,
Et Matrum innumero fædarunt funere vultus.
Impetus hic intraque lares graſſatus, & extra
Impulit heu longè ex agris evadere noſtris
Cœleſtẽ Puerum Authorẽ divumq; hominumq;

Mopſ. Ipſe ego pellæi viridantia rura Canopi
Dum colerem, effuſo ſtagnat quà flumine Nilus;
Fama fuit, puerum genus alto à ſanguine Regũ,
Niliacos penetraſſe ſinus, cui cura Parentum
Mendaceſque dolos metuebat, & arma Tyranni.
Hoc veniẽte ferunt, dubias cum mœnibus urbes
Inſtabili trepidaſſe ſolo: ſubverſa ruinis
Ardua pyramidum vidit miracula Memphis;
Nutavit quaſſa penitus teſtudine templum,
Nutavere ſuas ſpirantia ſigna per aras.
An Deus ille puer? certè mortalia ſupra
Eſt puer ille, humano quiddam & vertice majus.
Am. Hem Deus ille puer, Deus eſt, cui ruſtica quõdam
Paſtores tulimus gratanti munera dextra.
Felix ò nimium felix, ſua ſi bona norit
Agreſtis Paſtor, Memphitidos incola ſilvæ.
Mopſ. Ergo meæ felix repetam magalia ſilvæ:
Si qua tenet divæ prolis te cura, venito.
Te noſtrum viridi compactum ceſpite culmen
Silveſtri hoſpitio excipiet; tibi pinguis aratro
Preſſa feret tellus ſegetes, feret uva liquorem.
Am. Ipſe tibi Bethles meritis pro talibus infans;
Dulcia qui noſtræ reddis jam gaudia menti,
Præmia perſolvat. Noſtris ſi cedere terris,
Et pharios tecum ſuades me quærere fines;
Sis comes ipſe mihi; veniam quocumque vocaris.
Mopſ. Et comes, & cuſtos tibi ſum: ſine nube ſerenus
Tutum Phœbus iter nobis parat; auſpice Phębo
Hinc migrare juvat, mæſtaſque relinquere ſedes.
Mecũ iter ingredere; & ſi quis tibi, ſuſcipe faſcem:
Mox ego te pariter curaque, & faſce levabo.

Poſt

POst Christi Domini in Cœlum triumphalem reditum diù superfuit in terris Sanctissima parens, & Virgo. Sed diuturnis in amantis amatique filii amplexum aspirantibus votis arrisit tandem filius Deus. Quapropter ejus animum lenissimæ mortis interventu è corporis mortalitate jubet absolvi, absolutumque iterum mandat brevi post tempore in corpus suum reverti; ea tamen lege, ut illud infusus iterum ipse animus immortalitatis, & gloriæ nexu penitissimo & asserat sibi, & secum unà in beatissimam æternitatem attollat. Atque hæc demum fuit Deiparæ in Cœlum Assumptæ triumphalis dies, & pompa. Ut huic diei, pompæque amoris, & obsequii tributum qualecumque potest, persolvat nostra in poeticis qualis qualis facultas, evectam in Cœlum, carmine subsequemur Deiparam. Quid tamen nostræ ad cœlestes gratulationes voces inconditæ? Si ubi multisona fervet sacer atthide lucus, importuna, & prorsus improba (quod ait ille) cecropiis querelis accedit pica; quàm importunè accedet angelicis modulatibus noster ex hac infima miseriarum regione concentus pertenuis,& plane miser! Verùm ubi tanto suppar triumpho carminis majestas me deficit, suffecta obsequii humilitas & cantum, & canentem commendet.


Deipara Virgo in Cœlum Assumpta.

CARMEN II.

QUa Deus emeritam terrarum ex orbe Parentē
Extulerit pompa; atque novũ super astra locatã

Addiderit Superis decus, & nova gaudia cœlo,
Expediam. Tu Cœlicolum Regina secundis
Auspiciis carmen dignare, & numine dextro.
Quis meritis valeat numeris æquare triumphos
Diva tuos, cantuque sequi non impare laudes;
Prævalidas nisi tu vires, animosque benigno
Afflatu infundas, magnosque in pectore sensus?
Postquam sacrato solymei è vertice collis,
Nomina cui vivax robustæ Palladis olim
Silva suo fecit de germine; Numen in altas
Excessit radians redivivo corpore sedes;
Diva suis Genitrix urgebat sydera votis
Noctes, atque dies, ardens è carcere molis
Corporeæ solvi, natique in regna vocari.
Qualis perpetuo mærore columba laborat,
Et miserabilibus latè loca questibus implet,
Si quis anhelantem patrii vetet ætheris haustu
Liberiore frui, aut adducta compede ludat
Captivis meditantem alis spatia ardua cœli:
Quamvis marmorei subter laquearia tecti,
Auratasve trabes, & crates inter eburnas
Imbellem volucrem pretioso carcere servet;
Illa tamen circumobsessam se divite vallo
Ingemit, atque aurũ claustri indignata protervi
Nobilibus damnat pretium pœnale querelis;
Et nativa animæ libertas usque recursat.
Haud secus æterni Genitrix dilecta Tonantis
Deliciis assuetum animum cœlestibus ardet
Cœlestum in sedem, & consortia nota referre;
Corde dolens læthique moras, & tædia vitæ.
Jamque suum intendens cognata ad sydera vultũ
So-

Solvit anhelanti tales è pectore voces:
Ex quo (te sibi jam dudum poscentibus astris)
Nube super nivea tu debellator averni
Illatus; tantoque orbata est pignore tellus,
Nate meum decus, atque animi sincera voluptas
Nate mei; bis septem annorum circuit orbes
Heu nimium magnos orbes mea vita, supremũ
Jamque diem accersit, jamque ad sua funera fatũ
Increpat, atque acri libitinam voce lacessit:
Te sine vita sibi mors est; sibi tortor eidem
Qui vivit, longoque miser se funerat ævo.
Ergo diù morior; dum te sine ducitur ætas
Tam longæva mihi, ac procul à cœlestibus oris
Tot malè vitalis durando spiritus annos
Vincit, & invisa rursum reparatur ab aura:
Ah seriem annorum jucundo intercipe fato:
Ah propera abrupta mihi mortẽ abrumpere vita:
Haud me mortales inter spes detinet ulla,
Quæ curã, cupidumque tui soletur amorem.
Hoc erat in votis, omnes tua numina gentes
Ut colerent, solisve domo regnaret utraque
Religio, atque Deos positis detruderet aris.
Evenere: meis votis arrisit Olympus;
Dogmata Christiadũ terras vulgata per omnes
Vidimus, atque omnes tetigit tua fama recessus:
Nil est, quòd renoves annos, fatumque moreris
Usque meum: ò tandẽ Genitricẽ his eripe terris.
Talibus orabat Genitrix cui filius alto
Annuit è cœli solio, votumque secundat:
Remigiis promptum aereis, penitusque paratum
Sydereum Juvenem accersit, dein talia mandat:



O qui Nazareæ penetrasti tecta Puellæ
Nuncius, æthereo quondam demissus Olympo,
I celer, & sacras iterum pete nuncius ædes
Virgineæ Matris: properet sibi funera cœlum,
Olim jam vovet, & nati rogat anxia numen.
Dic age, dic Matris facilem aspexisse precantis
Vota Deum, ac mox venturæ statuisse beatam
Hic sedem imperii, & multo diadema decorum
Sydere, & angelici sceptra immortalia regni.
Ante tamen velit extremo succumbere fato,
Extremi an fati, tristisque ignara sepulchri
Scandere sydeream spiranti corpore molem,
Scitare: & me velle, refer prohibere potentem
Vim læthi, nullique hominum parcentia tela:
Sed Matrem penes arbitriũ,& jus omne reponã,
Illiusque sequi normamque,modumque libebit,
Huc modò tollatur nostras sublimis ad arces.
Certè quæ fuerit non unquam criminis hæres
Primævi, haud lætho debet fatale tributum.
At siquidem commune malum, legesque subire
Fatorum volet, ipse adero, æthereæque; jubebo,
Conveniãt animæ, Aligerumq; & suave canentũ
Millia sub divæ tectum; simul ipse docebo
Immitem fatale in opus mitescere mortem:
I nunc, atque hæc virgineas citò perfer ad aures.
Regis ad imperium supremi nuncius alas
Explicat, & liquidum rapido secat æthera lapsu.
Illius intexto radios jaculatur ab auro
Vestis, & assimilem phæbo coma vibrat honorẽ;
Quæque pati senium nescit, sedet ore venustas.
Ad Divam ut venit, magni sibi credita Regis
Con-

Consilia exposuit, dehinc illã in sceptra vocavit.
Attamen & sensu, & votis demissa, triumphi
Oblati timet illa genus, finemque precatur
Mortalis communem ævi, & se subjicit ultrò
Fatorum imperio. Ut subeat sine crimine pœnã
Criminis, interitum suadent exempla perempti
Numinis, arcano quæ pectore plurima versat.
Ne quæso, hãc animã communi subtrahe lætho
Rex, ait, ò Superum; arbitriis neù tanta resolui
Jura meis liceat. Quin dura victima ferro
Occumbam, generosa petens per vulnera mortẽ
Et nos astra juvant, pretio quæsita cruoris.
Tot tibi (nosco etenim) trajecti pectora telis
Vitam exhalabunt. Caput à cervice revulsum
Offeret hic: pellem abstractam è spirantibus extis
Ille, atque ingenito nudatas tergore costas:
Alter quadrifido pendens è stipite, sævi
Ludibrium tortoris erit; crudelibus alter
Esca focis dabitur, duraque in crate cubantem
Depascet flammarum æstus, vulcaniaque ira.
Quid tamen hæc referã, dũ te te nate per umbrã
Funeream, solisque umbram, cœlique dolentis,
Cuspide clavorum ferali in robore quondam
Confixum, diroque peremptum funere vidi.
Nec me, quas rogo, pœnarum dignaberis ullo
Munere, nec modico stabit mihi sanguine cœlũ?
Ah saltem extinguat fatali mortis ab ictu,
Et fati accedam innumeris extincta trophæis.
Aliger hæc contra nihil ausus reddere, pronis
Ingentem obsequiis divam veneratur: ab astris
Interea Superum Rector descendit, & illi

Cœlicolæ agglomerãt ſeſe, mortemque ſuperbã
Agmine deductus divûm per inane volantum
Invadit, rigidoſque jubet dediſcere mores,
Mitius & Matri fatum properare, volenti.
Pallidus extẽplo languor, macieſque propinquæ
Nuncia mortis adeſt, perituroſque occupat artus
Virginis immeritæ; extremi præſagia fati
Accipit illa libens, argumentumque futuræ
Sortis amat. Roſeum ſtramen feſtinat, & omnẽ
Nuncius angelica dextra ciet aliger artem;
Mox agilis roſeo componit ſtramine divam,
Languentem divã, & jam proxima fata vocantẽ.
Illa ſed accumbens lecto, ſublime volatu
Mentis adit Cœlum,& ſenſum rapit alta ſequacẽ
Vis animi; vitalis abeſt è pectore virtus,
Effugiunt oculi lucem, ſeſeque ſupinant
Introrſum, penituſque ſuos abduntur in orbes;
Et dedignantur terras, atque aſtra requirunt.
Tunc adytis infert ſeſe Genitricis, olympi
Regnator, magna Superum comitante caterva:
Inſequitur mors imperiis exterrita tanti
Numinis, & tantæ metuens divortia vitæ
It greſſu ancipiti; neque lento excludere pulſu
Fortunatam animam ſatis audet: inania tela
Nunc ſua, nunc vires fieri quàm vellet inanes.
Bis divæ in pectus mitem libraverat ictum,
Bis pavidæ cecidere manus, ſed juſſa coegit
Ipſa reluctantem ſeſe; atque timore timorem
Excutiens, jaculũ Supremum in vulnus adegit;
Et felicem animam felici vulnere ſoluit:
Tùm nigrã in caveã, triſteſq; receſſit in umbras.

Hospitiis egressa suis sacra pectoris hospes
Currit in occursum nati, fruiturque beato
Illius amplexu, spectato & numine gaudet:
Implet ad extremum mentẽ cœlũ omne capacẽ.
Post divæ excessum lacrymis pia justa profusis
Bis seni peragunt Patres; mox cetera turba
Christiadum sequitur lugubri funera pompa:
Nec non & sacrum pignus committitur urnæ;
At frustra; tot enim parvæ cœlum invidet urnæ
Divitias, tantumque decus sibi vendicat uni.
Tertia lux aderat terris, cum ex æthere summo
Aligerum formosa Cohors devenit in imas
Pallentis tumuli latebras; pignusque sepultum
Extulit ad Superos. Spirabile funus ab umbris
Æthera per liquidũ rapitur; volat agmine facto
Cœlicolũ manus, & magnũ glomeratur in orbẽ.
Jam felix, augustum, ingens ad sydera donum
Tollitur alarum obsequiis: micat æmula virtus
Sydereos inter cives; ac nobile pondus
Quisque subire amat. Insueto sol aureus ardet
Lumine; fæcundis vernat nova gratia terris;
Festivumque omnis præfert natura decorem.
Ipse etiam Aligerum resonat concentibus ęther;
Vocales alii nervos, lituosque loquaces,
Argutasque fides tractant; pars certat in altum
Mobilibus choreis numerosos edere saltus.
Ut verò reduces, germanosque induit artus
Obvius ipse animus, plausus geminãtur, & omne
Assultat cœlum: artificis modulamina plectri
Cœlestes referunt orbes; iterumque, iterumque,
Alati plaudunt Proceres; omnisque corona

Re-

Responsat Superũ: tandẽ nova pompa triuphalẽ
Insequitur pompã; summæ namque obvia Prolis
Majestas venit ad Matrẽ, & Chorus additur ingẽs
Divorum; atque novo crebrescunt fœdere voces.
O qui tunc motus, quæ tunc ò gaudia, plausus
O qui tunc exultantum, pariterque canentum!
Interea graditur nati subnixa lacertis,
Et Nati propter solium Regina locatur.
Nos modò diva tuis è sedibus aspice felix;
Et facilis nobis, rebusque allabere nostris.


JOannes Apostolus, idemque Evangelista, atque Doctor; Propheta, atque Virgo hoc nobis carmine alloquendus esto, & laudandus. Insignes ejus animi dotes, vel præcipuo Christi Reparatoris amori promerendo non impares; ipsumque à Christo Reparatore exhibitum illi amorem præcipuum; atque adeo ipsorum quæ divinitus illi affluxerunt, cœlestium donorum lectissimam copiam, quoad assequi perexigua facultate mea fas erit, exponam. Interim ne tantam egomet laudationis materiam tantuli culpa ingenii mei Auditoribus meis videar in præsentia deterere, id quicumque canenti mihi adestis, memori sensu apud vos constanter teneatis, præmoneo; quantum & animo, & virtute fuisse illum oporteat, cui declinanti in somnum locus fuit olim in Dei hominis pectore; & cui (quod præclarius est tum virtutis argumentum, tum pignus felicitatis) quò interior, eò etiam augustior locus fuit intra secretissimos ejusdem divini pectoris sinus, videlicet ipso Christi amatoris in corde; ut perinde jam sit ad evangelicæ locutionis normam

mam Joannem nominare, atque Discipulum dicere, quem diligebat Jesus; illudque nullo discrimine geminum, immò & synonimum (Divini Verbi charitate sic nomenclaturam disponente) apud omnes censeatur: dilectus Deo, & Joannes.

Christi Domini in Joannem Apostolum amor, & favor eximius.

CARMEN III.

VIrginei specimen floris, generosaque virtus,
Sensibus haud impar Cœlestũ, admissa supernis
Consiliis, animique peragrans astra, volatu;
Cui promptum obsequiũ pernicibus explicat alis
Ante pedes blandè assultans regina volucrum:
Tu modo, ni renuas, argumentumque, decusque
Carminis esto mei. Dilecto nomen Alumno
Jam dudum tibi fecit amor, dignataque semper
Arcanis te dive suis sapientia Summi
Numinis; humanum in terris cùm duceret ævũ.
Quà viridi sublimem assurgit in æthera Thabor
Vertice, & occurrit fulgentibus obvius astris,
Induit æthereram, te spectatore, figuram
Mortalis Deus, & Titana lacessere visus
Ore coruscanti formam candoris eburni
Veste refert, aut quâ nocturnis pingit in umbris
Syderibus respersa, & lactea Semita Cœli;
Aut quam subjectis hibernus Jupiter agris
Allinit, affuso nivium dum vellere ludit.
Ergo rudimentum, te tunc spectante, perennis
Exhi-



Exhibitum eſt vitæ: ac fugitivi fulguris inſtar,
Quod media ex nube, intempeſta nocte coruſcat,
Et ſubitam attonitis lucem mortalibus offert;
Emicuit Numen. Nova pompa repẽte timorem,
Lætitiamque animis miſcet: tum protinus ipſe
Prærapido oſtenſum libaſti pectore cœlum.
Iſacidum pia turba patrum dum ritè ſupremam
Convenit in cęnam; atq; Deus cõviva recumbit;
Transfuga Diſcipulus coquit imo corde cruẽtũ,
Horrendumque nefas; etenim lethale Magiſtro
Obſequium meditatur amica per oſcula mẽdax;
At mentem ſimul immanẽ, & molimina prodit
Sæva Deus; dupliciſque animi patuere latebræ.
Omnibus in facinus ſubit ira, & nobilis horror;
Tum mæror, trepiduſque pavor convivia turbãt:
Numinis in gremio ſed tu componeris atras
Dimittens animo curas, triſteſque labores;
Invitanſque leves ſomnos, placidamque quietẽ.
Dulcè ſoporatum tunc te ſuper ardua grande
Abripit exilium mentis, tunc nectare lactat
Sydereæ plenum dulcedinis uber amoris.
Quos auris ſenſus, quanta & miracula rerum;
Quando datur tantas tibi te deponere in ulnas,
Carpere ibi & lenis mox dona ſoporis; eoque
Leniter adlabente frui, erudiente doceri!
Non oſtrũ, aut molles plumæ, cytharæve canoræ
Felices adeo valeant accerſere ſomnos.
Dum luit immanes noſtro pro crimine pœnas,
Et geminos inter feralis pompa latrones
Quadrifida lacerum dependet ab arbore Numẽ;
Virgineæ lacrymas Matris, juxtàque dolentem

Te videt, atque illam in Matrem tibi tradit, & illi
Te caro rursum pro pignore tradit habendum:
O bene concordes animas, ò jura beati
Fœderis, ò tantæ felicem Matris Alumnum!
Dehinc aliis cœlum indiciis testatur amorem
In te dive suum. Nova per miracula fatis
Te Deus extremis olim subducit, & igne
Effusam bacchante jubet tibi parcere flammam.
Barbara jampridem Romani Principis ardet
In caput ira tuum; tandem ad tua fata furentem
Vulcanum ciet omnem, & sævos provocat æstus.
Irritata focis magno spumescit aheno
Pallas, & erectis assultat turgida bullis:
Jamque ferus tortor congestos ignibus ignes
Accumulat, tedisque, & querno robore nutrit;
Ventosique animant folles incendia, circumque
Exuperans æris labrum, dispergitur humor.
Ast ubi demersum te fumidus excipit, & te
Spumeus attingit furor exundantis aheni;
Cedit in obsequium tibi protinus impetus atrox
Vulcani, & liquidum extemplo deferuet olivū.
Nempe tibi è Cœlo divinæ sibilus auræ
Suaviter aspirat, dulcique aspergine roris,
Quo manat Cœlum, quo vivida sydera sudant;
Mitescunt tormēta; fit horrida flamma voluptas.
Ceu pueri, quos immitis Babilone Tyrannus
Impulit in claustrum diræ fornacis; amico
Numine temperiem Cœli, vernumque teporem
Experti sacrum alternis pæana canebant.
Ludebat teneros innoxia flamma per artus,
Dura suas tantum repetens in vincula vires;

Ut laqueis pueri, manicisque tenacibus unà
Exuti flammarum inter pia frigora, & inter
Cœlestis penitus rorantia flabra favonj
Jactarent pariter media in fornace triumphos.
Quid memorem, quoties eductam è corpore mentem
Dive tuam curis terrarum exe merit, atque
Intulerit Cœlo Deus, & super astra locarit;
Quò Superum posses spectator adesse theatris?
Vos sylvæ testes, tuque ò notissima fama
Insula, quam toto terrarum dividit orbe,
Intonat Ægeis quæ fluctibus Amphitrite.
Illic Dive tibi Stellantis Regia Cœli
Visa diù, & solio regnans Deus arduus alto,
Et Divùm glomerata manus, volucrisq; choortis
Densum agmē, nutu pariter quod pēdet ab uno
Numinis æterni: Michael bellator, & hasta,
Et clypeo validus monstrosi in terga chelidri
Irruit, innumeramque ignem disterminat astris.
En Mulier, quam sol vestit; diademate pulchro
Cui nitet astrorum, caput; atque argentea Phœbe
Nobile substrata dependit luce tributum.
En tibi chrysolitusque rubens, en vitrea forma
Gurgitis immensi; en longo mox compita tractu
Gemmea monstrantur, magnarum mystica rerū
Signa. Quis ingentem curam te Numinis esse,
Jam neget, in terris quod te mortalibus annis
Detentum superis rebus dignatur, apertis
Et superum arcanis, totoque oblectat olympo?
Clauderis Ægeis hinc, atque hinc exul in undis;
Attamen interea tibi Numine Dive secundo
Triste vel exilium, deformisque Insula Cœlū est.

Di-

Divite Romuleus Princeps triſtatur in aula;
Cùm pulchra ultrices circum laquearia curæ,
Carnificeſque metus volitent, mentiſq; tumultus:
Tuque inter rupes, & concava ſaxa ſerenos
Exigis uſque dies, propiore & Numine gaudes.
Ter, quater ò felix, tanto cui Numen amore
Blanditur, facilem ſceleri, votiſque ſecundum
Redde Deum noſtris, quoſque irritavimus ipſi
Perniciem in noſtram, ſupplex averte furores:
Numine quique adeo in terris gaviſus amante es,
Æternùm & gaudes ſuper aſtra potitus eodem,
Affer opem, ac noſtris defende pericula rebus.

HEroici carminis apparatu, Ornatiſſimi Auditores, atque eruditiſſimi magnum vobis Zenonem exhibeo, cujus erga Piſtorienſes charitatem non modò aquæ multæ non potuerunt extinguere, ſed maximè probaverunt: quando præpotenti ejuſdem nutu, Piſtorienſi ex Agro, cui perniciosè incubuerant, perniciter ſunt dilapſæ. Et certè quidem adornando in Zenonis laudem carmini hunc potiſſimum Aprilem menſem cenſui opportunum, tum quia aperiente ſeſe, & laxante liberaliter anno in vernæ hilaritatis temperiem, vel ipſi, qui in hortulis Rhetorum non niſi infelices videntur eſſe ſtolones, ac ſtipites, excuſſo nihilominus ingenii ſui torpore, ac frigore floreſcere, aut frondeſcere aliquatenus norunt; tum quia hoc temporis ſtudioſis parnaſi curis impendere ob mitiſſimas Cœli vices minus reor incommodum corpori, quo utor adhuc revaleſcente potius, quàm valido. Sed præ omnibus id cauſis validiùs horta-

ratur, ac permovet, quòd ſacrum Zenoni, ſolemnemque diem hic ipſe per anni curriculum Aprilis mẽſis reducit; eum ſcilicet diem, quo ſanctiſſimus juxta, ac ſapientiſſimus Zeno, ut quam fidei veritatem fuerat luculenter teſtatus eloquii flumine, conteſtaretur & ſanguine; inter cruciatus lictorum, ac tormenta victricem animam exhalavit: atque ita præclarus atavorum ſanguine, quem oriens duxit, ſed longè præclariſſimus ſuomet, quem moriens fudit; immortalibus Eccleſiæ, ac divorum faſtis immortale ipſe decus acceſſit. Quarè aſpirantis afflatu poeſeos permittamus vela ventis, noſtrique hujus Patroni laudibus per ejuſdem auſpicia velificemur alacriter. Vos humaniſſimos accomodate animos argumento, non Vati, qui demum nullam carmini ſuo gratiam ſperare vel valeat, vel audeat, niſi quam illi demereri unam ipſemet tanti argumenti ſui delectus potuerit.

Divus Zeno Piſtorienſium Patronus.

CARMEN IV.

RUmpe moras, laudũque piis Zenona trophæis *
Proſequere, & rerum columenq; decuſq; tuarũ
Dic memori mecum Piſtoria carmine; par eſt,
Caſtalia quondam dignari aſpergine laudes
Illius ingentes, æterniſque addita faſtis
Nomina, qui nobis dexter defendit aquoſum
Exitium, eluviemque malorum ſuſtulit agris.
Heu rerum monſtrũ lacrymabile; vel meminiſſe
Du-

* *Fuit à Cive Piſtorienſi Piſtorii dictum.*

Durum eſt;atq; abſens per ſecula terret imago.
Pleniùs at ſeſe geminant mox gaudia, ſi quà
Componit ſolers animus præſencia priſcis
Tempora; præteritiq; inter monumenta laboris
Læta juvant, ſenſuſque imos vivaciùs intrant.
Non ſecus ac paſtor ſilveſtris, & arduus Æmi
Incola ubi armentis poſt noctem paſcua reddit
Nota ſuis, colleſque ovibus permittit apertos;
Ilicis in viridi jucundiùs accubat umbra,
Atque hilari circum viſu diffuſa pererrat
Jugera; ſi recolit, jamdudum hæc Marte latino
Ingemuiſſe, atque undanti latuiſſe cruore.
Aſpicite immenſo circùm quas munere nobis
Natura explicuit valles, & in aſtra ſuperbi
Perpetuo montes flexu per ſumma coronant
Culmina: inertes jampridem tenuere lacunæ
Obductas paſſim;obductiſque haurire negatũ eſt
Frugiferum cœli aſpectum, illapſuſque ſecundos.
Undarum vis alta luto captiva tenaci,
Et lapidum ſubter congeſto hærebat acervo:
Jamque incrementis raptim accedentibus ibat
Altiùs uſque novis, fluvios imitata, lacuſque,
Affuſos ſuper humores humore refuſo.
Attoniti Cives primordia ſæva laborum
Crediderant objecta ſibi, quos Pyrrha ſuperſtes
Naufragio rerum fertur viciſſe, animoſo
Dum lapidum jactu fatalia damna rependit.
Oblatis nuſquam exturbare canalibus atram
Perniciem, defoſſove extenuare meatu
Ars valuit, vireſque hominum; via nulla ſalutem
Oſtendit miſeris; cum plenior undique peſtis

Afflueret tamen; atque aditum non ulla vetarēt
Claustra. Gravis totā jam effundit aquarius urnā;
Jamque ruit sub dio effusiùs imbriferum ver:
Jam definito impatiens dissultat ab alveo
Flumen, & insueta abruptum spatiatur arena;
Aggerat hinc nostros tellusque polusque labores.
Novimus & certis anni relegentibus orbem
Mensibus effundi riparum è margine Nilum;
Tum Pharaoniadum latè regnare per agros
Limosis tardantem undis, & gurgite nigro.
Sed nobis longè, ac Phariis regionibus impar
Heu sortis, rerumque color; suus ingerit illis
Divitias fluvius creta, & felicibus undis;
Nam fertur Cererisq; potens, & prodigus auctor.
Humor at insidens nostra convalle tyrannus
Abstuleratq; usum annonæ, atq; oppresserat arva.
Rerũ summe Parens (miseris hæc omnibus una
Vox erat; hos mæror rumpebat pectore sensus;)
Alme Parens, cujus regnantes audit habenas
Orbis; & immotus qui das elementa moveri,
Luctibus his petimus metam, finemq; quid ultra
Heu gemitus miserorum urges, longosq; dolores?
Undantem nostræ telluris ab æquore labem
Averte, & stygiæ cognatam affunde paludi.
An Cives colles inter, lucosque malignos,
Quà nocturnã agitant ululantia mostra querelã,
Concussa immitem ducemus ab ilice victum?
An quàm lata jacet, regnata tumentibus undis
Vallis erit semper? nunquam ne patebit aratro?
Quæ primùm pietas (dum te spectaret Idume
Mortalem generis spes ò fidissima nostri)
Quæ

Quæ pietas saltus, desertasque inter arenas,
Et frugrum indociles, sua per miracula dives
Apposuitque epulas, plena & convivia struxit
Agminibus rapido pariter languentibus æstu,
Jamque frui propiore Deo certantibus; hæc te
Evocet hæc eadem nunc nostra ad vota secundũ;
Ærumnis positura modum. Solatia frugum,
Et facilem victum non incultis ab arenis
Educas, petimus; cerealis ab ubere glebæ
Surgere sed jubeas, nostrisque adolescere campis.
Rura satis nobis sunt pinquia, tu modo terris
Fertilibus vada cæca, situmque extrude palustrẽ.
His accensa super miseræ pia pectora gentis
Cœlũ onerant votis, æternaque numina poscunt.
Aliger at superis olim demissus ab oris
Urbis in auxilium nostræ, qui tecta, laresque
Servat, & assiduus custodibus undique curis
Mænia tutatur; tot finem accersere damnis
Instat, & æterni suplex ante ora Tonantis,
Qui vulgo lugubrè sonant, per templa, per aras
Solicitus longis sic pondera questibus addit:
Quos mea, Rex Divum, tot jã volventibus annis
Cura vigil spectat populos, firmisque tuetur
Præsidiis; jam dura diu violentia sortis
Exagitat: lætos nulli fas condere soles:
Jugeribus lacus incubuit; stat limus inerti
Infelix ditione, & commoda frugibus arva
Opprimit. Astra olim votis, precibusque fatigant
Pertæsi exitium. Præsens ò vota secundes;
O facilis tandem ejicias hanc numine dextro
Ærumnam pater, & longo mœrentia luctu
 Cor-

Corda leves. Quid camporum convallibus imis
Explicitos longè tractus, opibusque ferendis
Triticeæ messis glebas, tua dona, beatas
Accepisse juvat; mala si prçcepit aquarum
Libertas sedes frugum, atque uberrima regna?
Subtractas sibi coguntur prædantibus undis
Cernere opes; & cum dulces mortalibus ægris
Delicias elementa parent, & idonea vitæ
Fædere se teneant certo; nunc lege solutum
Insidias vitæ molitur, frugibus obstat,
Perque agros infert elementum immane ruinas.
Credita quæ mihi jamdudum est tutela, volentē
Hæc eadē hortatur præsens modo poscere genti
Subsidium miseræ; nostris pius annue curis.
Ales id orabat custos; cum talia contra
Reddidit ætherei summus regnator Olympi.
Quas tibi servandas jampridem numine certo
Tradideram gentes mundi sator; è mediis jam
Eripiam exitiis, luctuque, metuque levabo:
Vota satis tetigere, piæ tetigere querelæ
Cælicolum mentes; jam tempus tristia retrò
Vertere; nempe novus fatorum ducitur ordo,
Quique fiet lacrymis solamen, quique serenos
Expediat risus, faustisque infausta repellat.
At divorum illustris honos, & gloria curæ est
Heroum, quos corporea compage solutos
Exemit terris virtus, cæloque recepit:
Quando illis interque minas, interque cruenta
Fata; Tyrannorum dum sæva tonaret Erynnis,
Obstitit haud unquam formido, ne mea fortes
Dogmata luce palam suaderent; neve feroci
Bar-

Barbarie obſtructas inferrent nomen in oras:
Jam ſedet & mihi; quo meritis cumulata reponā
Officia, in populis laudes,celebreſque triumphos
Illorum excire obſequiis, penituſque canoro
Virtutum plauſu terras implere remotas.
Sic cæcis ruptum è latebris hic ſupprimat ignem,
Flammarumque globos; telluris hiatibus ille
Imperet; ille luem cœli, turpeſque procellas;
Quæq; mare immiſcēt ſuperis, robuſtaq; ſternūt
Sæcula ſylvarum; ventoſas molliat iras.
Prodigii ſic quemque ſui pia fama potentem
Laudandi ſtudio ſubvecta, atque alite vocis
Officio longè poſitas extendat in urbes:
Votivis ſignis demum, & fumantis acerræ
Muneribus decoret,templorumq;addat honores.
Sed qui ſydereos cenſetur nobilis inter
Heroas Zeno, cujus Verona ſupernis
Auſpiciis manet, & celſo ſe nomine jactat;
Edomet hic undas, ſi quando effuſa ſuperbit
Fluminis illuvies, ac neſcia legis iniquo
Abripitur curſu objecti moderamina præter
Aggeris; aut campo aſſultans florentis amenam
Progeniem veris quatit, involvitque ſub alto
Vortice nutantes generoſi farris ariſtas:
Zenoni virtus arcere incommoda terris
Triſtia, & inſanos ripa compeſcere fluctus.
Hunc Heroa gemens Piſtoria poſcat egenis
Prævalidum rebus ſolamen, & irrita voti
Haud erit: id ſtabili nimirum numine fixum eſt;
Sic viſum, occurſu ut tanti ſe vindicis olim
Immani ereptos videant diſcrimine cives:

Ipſe opus aggredere; āte tuis quippe artibus uſus,
Qui fibiras animi æthereo contingere motu,
Et ſuperum ſenſus mortalia corda docere
Doctus es: aggredere opportunam civibus altè
Iniicere hanc curam, hiſq; animos accēdere votis;
Oratum ut celeres adeant Zenona Clientes;
Omnis in hunc animus, ſpes & cōſentiat omnis;
Ut ſacra aſſyriis huic templa vaporibus halent.
Arbiter hæc Aulæ ſtellantis; at Aliger imo
Cernuus obſequio ſolium ſeſe ante verendum
Abjicit, æterno quod circum fulgurat auro,
Æternumque diem vibrantibus explicat aſtris.
Proripit hinc ſeſe, notæque illabitur Urbi
Sedulus, & ſummi feſtinat juſſa Parentis.
Fama refert, Atheſis trangreſſa fluenta ſolutis
Gurgitibus quondam erupiſſe, vagumque furorē
In campos Verona tuos ſparſiſſe; benignæ
Quo cecidere ictu ſegetes, vernique decoris
Fragrantes animas liquidus turbo abſtulit undæ.
Quin etiam exurgens altis ſe mænibus Urbis
Impetus immittit fluvialis, apertaque paſſim
Compita ſpumanti regnator poſſidet æſtu:
Mox adit interior penetralia tecta domorum,
Commaculatque lares multa vitioſus arena.
Hinc labor, & triſtis querimonia Civibus, atq; hīc
Unanimes dictante ineunt formidine vota.
Hoc tamen exitio, & rerum graſſante ruina
Arva per, & trepidas gentes, mirabile dictu,
Zenonis ſuperat vigor, & miracula regnant;
Deque ſuperfuſa undarum obſidione triumphāt.
Erectum cœlo ſtabat molimine dives

Mar-

Marmoreo templũ,& damnoſa in ſecula pugnax:
Hoc pietas olim ſapienti ſplendida cultu
Zenoni dedit eſſe ſacrum; ſed proxima templo
Labitur, & raucum rapido ciet agmine murmur
Unda Athefis præceps. Ergo cum protinus alvei
Trans metam exiliit profuſi gurgitis audax
Copia; per templi muros, perque oſtia vires
Exercet veſana ſuas; atque impete crebro
Undoſos iterat pulſus; mox ardua ſurgit,
Et pinnas tecti, ac faſtigia ſumma minatur
Obruere. At quãquam per mille foramina circũ
Mille patent aditus; greſſum tamẽ unda reducit,
Ac metuens templo lutulentos abſtinet imbres.
Ut rapidum humorem glacialis inertia ſiſtit;
Cum primùm gelidas hyemes,ſcythicoſq;rigores
Flumina concipiunt; & fontes bruma coercet:
Sic ſtat iners Atheſis; poſteſque ſubire patentes
Abnegat. Attonitis animis miracula cernit
Turba frequens, araſque tenet,ſtudioque calenti
Zenonis nomen ſuper æthera tollere certat:
Miſcentur precibus grates, & gaudia votis;
Multiplicatque ſonum fornix imitatus ovantẽ.
Pars etiam ſuadente ſiti confiſa liquoris
Obſequio pateras profert; undæque morantis
Deſidiam ante fores ſubjecto provocat auro:
Quique videbatur denſo conſiſtere vinctus
Frigore, ne noceat; vitreos jam ſolvitur humor
In latices; & poſcentem facilis ſuper urnam
Defluit:hauritur properè; atque liquẽtibus ultro
Prodigiis poſiti circum crateres abundant.
Nimirum Zenona pavens, ſic mobile gaudet

Ingenium fluvius posuisse; suique tenorem
Ad damnum negat, ad potus solatia reddit.
Continuò Etruscis velox hoc urbibus infert
Prodigium rumor; multusque per ora vagatur,
Atque animis hæret Zeno, frenosque protervis
Limen aquis ponens, & sacræ janua sedis.
Fama tuos eadem jam tum Pistoria fines
Attigit, & novisse dedit, quis temperet Heros
Flumina, & undarum præfigat jura furori.
Aliger hinc tutor, cujus justissima cura
(Dum liceat modò) Pistoriensis ab æquore campi
Contendit latè stagnantem avertere pestem;
Advocat ipse suas artes, mollissima nactus
Tempora; & æthereos ima in præcordia motus
Civibus inspirat. Tandem monitore docentur
Sydereo miseri quod sit per vota petendum
Auspicium; lapsis aut unde levamina rebus
Speranda. Olim qui rerum moderantur habenas
Conveniunt Cives, animisque volentibus unà
Zenoni statuere preces; tum vulgus, & omnis
Turba minor, Procerũ exẽplis auctoribus ardet
Institui, penitusque suos componere sensus.
Ærea ceu moles, quæ voce, atque indice ferro
Horarum partitur iter, fugitivaque vitæ
Mortales momenta docet; dum intus sua versat
Pondera, multiplicesque vias, dubiosque recessus
Peruadit, docta vertigine principis axis,
Et trochleæ monitu vulgus jubet ire rotarum.
Haud aliter plebes moderantum prævia spectat
Facta virũ, sequiturq; hĩc dogmata ducit honesti,
Hinc recti normam; hinc regimen, vitæq; colorẽ.
Omni-

Omnibus in templis, omnes Zenona per aras
Primores, vulgusque simul venerantur, eique
Sedula Mystarum pietas addicta sabeæ
Frugis odoratos æstus, prætiosaque ritè
Nubila per summi glomerat laquearia templi.
Evoluunt se thura; ast inter odora potentes
Thura preces celeri felicius astra volatu
Transiliunt, & Cælicolum pia pectora tangunt.
Aspirat facilis Zeno, mentesque secundat
Orantis dudum Populi, luctumqne cientis.
Quæ pigris cubat unda vadis, diuturnaque traxit
Otia, jugeribus gravis, & convallibus imis,
Imperium tandem sentit divinitùs; & vim,
Impulsumque capit, penitusque excita volucre
Migrat in ingeniũ; hĩc, atq; hĩc se distrahit omnẽ;
Dissidiumque sui facit, & disperdere vires
Ipsa suas properat, fœdumque excindere regnũ
Sæpe etiam tellus hic rupta dehiscit, & illic;
Et crebri micuere sinus, subitæque cavernæ,
Præcipitemque luem diducta per ora receptant.
Tum demum vastę coeunt caveęque; specusque,
Et sua committunt docili divortia nexu.
In lucem asseritur camporum tractus apertam
Humore exhausto; & cœli spirabilis auram,
Æthereumque diem glebæ videre jacentes.
Ac veluti magnum si quà per inane solutus
Eolia ditione furit violentior auster,
Cogit aquosam hyemẽ cœlo; tum Juppiter atro
Plurimus imbre quatit terras; ac densa coactum
Delitusse diù piget inter nubila Solem:
Tabentes ferale dolent mortalia corda

Ire

Ire dies, multo & noctis pallore notari.
At contra boreas ubi discutit aera victor,
Exanimes posuere austri, distenta procellis
Nubila decedunt; tandem per libera olympi
Regna triumphales sol expedit aureus ignes;
Et multo reparant cum fœnore gaudia mentes.
Sic tristes subjecta diù pressere lacunæ
Jugera, sed Zenone statim assertore serenum
Lucis in aspectum emergunt, cœloque fruuntur:
Gratantesque micant desueta in gaudia cives.
Commoda jam Gereri; jamque opportuna Lyeo,
Palladique, & pomis felicibus arva creandis
Agricola impressis ad frugem format aratris,
Tum glebam expositam fœcundo sole maritat,
Deductisque anni gaudet spem credere sulcis.
Ast urbs interior Zenoni splendida grates
Instituit meritas persolvere; & æmula virtus
Civiles animos acuit pietate magistra.
In tela, & tabulis hic sedulus; ille laborat
Acer in ære opifex; Zenonem hic reddit in auro:
Zenoni pretium, atque artes, atque omne sacrari
Ingenium suadet generosi sensus amoris.
Orphæos edocta modos hinc barbita plectris
Exercentur, & hinc lætos symphonia plausus
Concitat in numerũ, plenoq; choreumate ludit.
Hinc & Parnasi sapientem excire calorem
Vivida apollineæ certant precordia gentis;
Et tibi dive ardent properatũ expromere carmen.
Pars canit, & dulci jactat super astra camæna,
Te laribus juvenem patriis, atque urbe relicta
Quærere secessus lucorum, & nescia sol[illegible]

An-

Antra, nigros inter ſaltus, rupeſque ſilentes;
Libera quò Superis pateant, penituſque vacanti
Hoſpitio excipiant divinum pectora numen.
Totum alii ſpirant heroo in carmine Phæbum;
Teque oratorem memorant, pleniſque theatris
Orantem cœli cauſas, atque alta monentem,
Immenſum vehemēti ex ore profundere flumē.
Tum populi, turpis quos olim conſcia facti
Mens habet attonitos; ſcelerum didicere dolorē.
Inde Erebus ſibi rapta gemit ſpolia ampla triumphis
Eloquii, ditata ſuis & ſydera damnis.
Mox alii ſtygia poſſeſſa tyrannide narrant
Corpora, & humanis commiſſas artubus iras
Tartareas, ac tormenta, immaniſque laboris
Horribilem faciem, ac ferientem ſumma fragorē
Sydera, detrectanſque tenacia vincula robur.
Scilicet his Zeno vindex occurrit, iniquum
Demona corporibus prohibens; & mēbra feroci
Eripit hoſte, levatque gerentem tartara fibram.
Dein alii celebrant, pervadere barbara fortem
Regna virum, immiteſque animos, ignaraq; legū
Pectora cæleſti pietatis fingere ſenſu;
Chriſtiadum & ritus, & jura docere pudoris.
Carceris hinc pœdor, duri & diſcrimina læthi
Mille. ſed exitiis Zeno par omnibus unus.
Hic Zenonis ait, juſſu, nutuque refuſam
Exanimi quondam caluiſſe in corpore vitam,
Rurſus & ætherea reducem ſpiraſſe ſub aura:
Aſt animum, fœdo obſtrictus qui crimine ſedem
Liquerat humanam, atque ultrici obnoxius iræ
Numinis, æterno luctuſque, & carcere ditis
Di-

Dignus erat, superas redeuntē ad luminis auras
Mærore, & penitus lacryma indoluisse salubri;
Et sumpsisse ultro meritas pro crimine pœnas.
Nec minus interea donum facunda poesis
Nobile sinceri monimentum, & pignus amoris
Exequitur, Zenoni olim quod tradit habendum
Tunc rerum imperio pollens, atq; orbis habenis
Romuleus Princeps; quamvis gerat impia corda
Christigenas contra; atq; animū virtutibus hostē:
Dat regnatricis frontis diadema decorum
Insertis gemmarum astris, auroque superbum.
Grandia nec refugit, pretiosaque munera Zeno;
Sed pretium indignatur iners; nec inutile tandē
Stare diù, cassum patitur nec fruge metallum;
Ergo aurū, atq; ebur, atq; incēdia pulchra pyropis
Ejaculata, suoque virentes vere smaragdos,
Ludicras & opes usus melioris egentes
Munere ab augusto evelli; & diadematis aurei
Omne minora jubet dissolui in fragmina textū:
Mox venale palam pretium facit omne, & egenis
Opportuna parat facilis solatia victus;
Atque situ longo squalentia corpora curat.
Vatibus ast aliis trucis evulgare tyranni
Securum, largumque sui Zenona cruoris,
Pierius calor incessit; furit hostis, & ore
Supplicium, stragemque crepat; sed nobile pectus
Devorat ingenti pœnam, & fata omnia voto.
Rursum aliis amor est, Pipini regia sumptu
Munera, & ipsum aras, operosaq; templa sacrātē
Zenoni Regem Lesboo tollere cantu.
Sic vatum expressit certamen, & æmulus ardor,

Quas

Quas nequeāt laudes diffingere flumina Lethes.
Haud tamen his laudũ ſtudiis perfuncta quievit;
Gliſcit adhuc pietas, majus meditata tributum.
Conſpirant Proceres, atque urbis principe ſede
Dignum Heroa ferunt; pronis ſententia votis
Omnibus excipitur, vulgo petit æthera clamor,
Et jam Zenonis, templum de nomine dicunt.
Hunc felix virtute, opibuſque, & nobilils ævo
Zenoni primùm exhibuit Piſtoria cultum:
Hunc & poſteritas ſervat, nec tarda nepotum
Sęcula dediſcent. Quem ſuſpicit Appenninum
Ire ſub etherias auras, ſpectabit in imas
Deſediſſe priùs valles Piſtoria, quam te,
Dive, tuumque animis labi patiatur amorem.
Ulnam auro ditare tuam, templique ſub ipſis
Aſſervare adytis gaudet, feſtoque Decembri *
Thura, preceſque inter, ſacra præeunte Caterva,
Ritè ſub aſpectum populo proferre: ſed omnem
Qui te Dive tenent memores per pectora ſenſus;
Auro vivacique perennius ære manebunt.

NOn ad ſomnia Parnaſi bicipitis, ſed ad Montis longè præcelſioris ſpectacula vera mecum una evadite, mentis oculo ſpectaturi Auditores, ſi modò collibitum eſt, hominem ſpectare divina verè patientem, quippè divinis Dei hominis vulneribus inſignitum. Alverniæ Montis eſt jugum, quod tantæ rei celebratur miraculo. Homo ille eſt Franciſcus Aſiſias, tantis vulneribus à vulnerato Deo do-

* *Menſe Decembri per ſolemnem ſupplicationem circumfertur Zenonis brachium aurea theca incluſum.*

donatus. Illum sanè supernarum potestas gratiarum pulcherrimis antithetis honestavit; siquidem paupertate opulentum, humilitate sublimem, vulneribus fecit beatissimum. Horum itaque vulnerum cruentam historiam, sed piè, speciosèque cruentam poeticis coloribus repræsentare vobis aggredior: vos intimos intendite sensus, quos jure suo vendicat sibi spectaculum triplex, vulnerans, vulneratus, & vulnera: vulnerans Deus, homo divinitus vulneratus, vulnera demum, quæ, aut qualia pati hominem decet, Deo deditissimum; Deo scilicet ipso quàm potenter, tàm amanter, quàm prodigialiter, tàm salutariter vulnerante.

Divus Franciscus sacris stigmatibus obsignatus.

CARMEN V.

QUæ diro quondam contortæ cuspidis ictu
Divinum rimata latus pœna evocat, ultrò
Festinantem hominum se totũ impendere lucro
Humorem, & cœli commercia reddere terris:
Quodq; pedes simul, & dextrã, lævamq; cruentat
Clavorum dura inflictum ferrugine vulnus;
Asisiatem ornant. Odiis stimulatus, & ira
Intulerat numen contra tam sæva satelles
Supplicia, atq; Erebus: sed nunc eadẽ ipsa decoras
Instaurata vices ineunt, ceduntque beati
Muneris in speciem, & supremi pignus amoris.
Plagarum tumor ipse decet, livorque, cruorque,
Indita & ipsa suo placet ex Authore cicatrix,

Dat-

Datque ſalutares, cœlo feriente, dolores.
Arduus aerii montis quà ſidera vertex
Pulſat, & Etruſcos latè circumſpicit agros,
Durat hyems longis annoſa rigoribus; & ſe
Solſtitio oſtentat, calidoque impurè Leoni
Immortale gelu. Aſt intus ſub rupibus imis
Silveſtres fugere feræ cœlumque, diemque.
Haud procul hinc turpes ſcopuli ſuper aera pen-
Promiſſoque diu caſu eluſere timorem (dent;
Mole ſua, ac ſeſe longa in miracula librant.
Stat circum, ac ſupra truncis immanibus arbor
Plurima. Per clivos æterna innaſcitur ilex
Tramite in abrupto,& feſſis jam cautibus hæret.
Quà juga miteſcunt, & ſemita euntibus æquor
Mollius explicuit; denſis ſilet horridus ornis
Lucus, & immenſam latè dant avia noctem.
Has montis ſalebras, & inhoſpita culmina quærit
Aſiſias, hac ſeſe involvere geſtit in umbra:
Scilicet ut terræ immunem, & mortalia ſupra
Exilientem animam ſecurius applicet aſtris.
Qualis in alpino ſublimem vertice ſedem
Alituum Regina tenet, dehinc libera cœlo
Tollitur, ac nubes vincit, vulgoque volucrum
Intactum molitur iter; juvat uſque nitentem
Explorare polũ, æthereæque accedere flammæ,
Atque haurire omnem conſtanti lumine Phębũ.
Sæpe ſub exeſa ſilice, aut algente ſub antro,
Sæpe ſupercilio prærupti montis ad altæ
Ilicis hoſpitium, ſuperum vernantia ſemper
Gaudia, florentes & opes, & ſplendida ſceptra
Verſat amans, & jam terrarum anguſta peroſus

Exi-

Exilia indulget lacrymis; gemituque beato
Vota, æſtuſque pios imo de pectore laxat:
Præripitur ſibi paulatim, & ſublimior exit
Ipſe ſua compage, ac ſenſu ſe abdicat omni;
Perque aditus faciles admiſſus ad ubera vitæ
Manantem illecebram felici præcipit hauſtu,
Delibatque Deum; fatorum ſtamine quamvis,
Et rerum extrema nondum ſit lege ſolutus.
At tacito nihil ille magis ſub corde volutat,
Quàm Domini tormenta ſui, & ſuprema laborū
Portenta, immanique ipſum de cæde cruentum:
Hæc ſolum in ſilvis inter ſpelea ferarum,
Hæc in convalle, hæc ſummi ad faſtigia montis
Cura comes ſequitur, figitque hæc maxima cura.
Jamque objecta ſuper diri monumenta doloris
Ingemit, illacrymatque gemēs, omniſq; recurſat
Montis in aſpectu mæſtum, Calvaria, nomen.
Et te ſūme hominū vindex, Divumq; voluptas,
Te te ferali ſuper arbore noſtra luentem
Crimina inexpleta defixus mente tuetur:
Et luget, Solem revocat cum Phoſphorus, & cū
Veſper adeſt, vitæ referens oblivia; luget.
Quid memorem, quoties per amica ſilentia ſilvæ
Illa ſpecu ſonat ingentis vox nuncia voti,
Vox facili excipienda Deo, diviſque ſecundis?
Hunc ego te aſpicio rerum pulcherrime, cœli
Arbiter, immeritos lacerum creduliter artus;
Infixumque cruci, patientemque ultima? Germē
Vipereum Iſacidum germen, potuiſtis & ipſum
Sic odiſſe Patrem, interitumque inferre ſaluti?
At queror Iſacidas? Tortore nocentior omni
En

En adſum. Mea te impietas, & crimen iniquis
Damnavere odiis. Dignus quæ vulnera feci,
Illa pati, Superos eadem modò vulnera poſco.
Vulnus apud ſævas gentes, & barbara regna
Quæſieram; tamen illa mihi non barbara regna
Oblita ingenium fuerant. Sine vulnere vitam
Ergo agitem reus, atque æterni cæde cruentus
Numinis? Indigno contra tu vulnere tantus
Expires Deus? Ah ſi barbarus abnuit enſis;
Sique rudis telorum, & amari vulneris haud eſt
Cœlicolum pietas, immò & ſine vulnere quondã
Aſperiùs ferit, ac melius per vulnera parcit;
Quod ſupereſt, Cœli pietatem vulnera poſco.
Haud hæc diſperdenda olim pernicibus euris
Dicta fluunt, ſummo votum ſuccedit Olympo,
Extorquetque piis tormentũ,& vulnus ab aſtris.
Oh mihi ſi quà magnarum miracula rerum
Voce ſequi liceat, quæ tum vidiſtis & ipſi
Heu nimiũ indociles trunci; nimiumq; ſilentes
Fagique, alnique,& nemorũ duriſſima quercus.
Continuò arridet,fauſtumque admurmurat aer:
Mox Cœlũ hinc, atq; hinc viſũ diſcedere nec jã
Auguſti latuere aulæ interioris honores.
Diſpertita micat lux undique, ſeque profundis
Jam penitus caveis infundit, & antra coegit
Æthereo gaudere die. Tum maximus Heros,
Cui cruor, & ſua jam dudum ſunt vulnera votũ,
Immotus menteq;, oculoſq; ſub ethere perſtat
Supplicis in ritum, & jaculo ſe prębet amoris;
Ac Superum donis procul obvia brachia tendit.
Olli ſidereis è ſedibus aſtitit Ales,

Igneus ille, ſuo ſed amans, & amabilis igne,
Igne ſuo quando cœleſtem inſpirat amorem.
Ille crucem circum radiantibus induit alis,
Et fovet amplexu flammæ, totoque coruſcum
Supplicio decus innectit, pœnaſque coronat:
Numen erat, multum vel numinis inſtar in illo.
Ergo ubi viſus adeſt, dextram, lævamq; pedeſq;
Et latusexertus totum radiantia contra
Tela jacit totidē, ardenti quæ in pectore ſtruxit,
Atque acuit,multoq; Deo Deus imbuit author.
Hæc jacula, & radii celeres orantis in artus
Ilicet emicuere; inque artubus, & latere imo
Vulnus hiat;penituſq; haurit tormenta dolentis
Numinis, immigratque in Numinis ora dolentis
Aſiſias, tantaque inſignis imagine gaudet;
Et dolet, atque ipſo geſtit gaudere dolore.
Divus amor noſtro quam pulchrè ludit in orbe!
Pergit & ipſe ſuum quàm pulchrè ludere ludum!
Numinis, atq; hominis diſcrimina miſcuit olim;
Et jam numē homo ludūque, artemq;retractat,
Atque ſui, alteriuſque iterum diſcrimina miſcet:
Spectatorque oculus dubitet, ſint alter, & alter,
Quos videt, errante an viſu geminaverit unum.
Ter,quater ò Felix,magnūque Alvernia,nomē:
O juga, ſaltuſque; ò culmen ſublimius omni
Culmine; tanta tuo luſit miracula clivo (nos.
Divus amor, memores quæ mittat rumor in an-
Securo quamvis violenta ſuperbia niſu,
Fulta giganteo tum robore Pelio oſſam
Impoſuiſſet, & oſſæ altum involuiſſet Olympū;
Culmē adhuc majus,mihi longè Alvernia,majus
No-

Nomen eras. Sed quos vesana superbia montes
Aggeribus tantis conata est tollere, eosdem
Ultores Superi merita excussere ruina.
Te tuus Asisias pauper, demissus & idem
Exæquat Cœlo; traditque annalibus usque
Mansuris, & sera canendum in sæcula tradet.

EGregias laudes Catharinæ Senensis poetica celebraturus panegyri adsum. Magno sane in argumento facultas non magna laborat. Etenim ecquis pro dignitate celebrare eam valeat, in qua amantis Dei profusa liberalitas minimum id esse voluit, quod in cæteris sanctissimis fęminis pro summo ducimus? In iis quippe virile pectus, & viraginis nomine dignum miramur plerumque; at Catharinæ pectus utpote divino corde spirans divinum prope videtur esse dicendum. Verùm nunquam me argumenti magnitudo deterreat; neque enim tam reprehendendus quispiam, quod maximum aliquid non satis laudaverit, quàm quòd laudare illud idem maximè, pieque studuerit, laudandus. Profectò suis ut æquam viribus scriptor materiam assumat, scripta ab Horatio lex fuit, sed iis, qui per suamet monumenta nomini meditantur perennitatem suo: Obsequiosæ pietatis ingenium suimet nominis securum, de Divorum laudatione solicitum legis horatianæ spatiis tam iniquis concludi difficillimè patitur. Suo libens argumento succumbet, atque hoc ipsum (modò de se succcumbente prominentior extet argumenti sui magnitudo) libentissimè profitebitur.

Diva Catharina Senensis præclaris è Cœlo dotibus, & muneribus illustrata.

CARMEN VI.

FErt animus Senensem Heroinam, & pia mentis
Consilia, & natum summa ad molimina pectus,
Hospitium Felix Divorum, ac numine plenum
Æthereo, & spirans divini munere cordis
Pieriis tentare modis; si carminis ulla
Lege, vel ingenii liceat mihi paupere cultu
Immensam segetem, & tantarum pondera rerũ
Complecti: at liceat, modò tu sublimibus ausis
Des vocem, sensusque pares; & laudis honorem,
Obsequiumq;adeas nostrum pede Diva secundo.
Ut primum certo signat vestigia gressu
Cunarum nec egens, nec Matris ab ubere vitam
Per teneros reparans haustus (quo tẽpore fervet
Corde recens ætas, ac primulus emicat ardor
In vacuas rerum species, & ludicra captat)
Tempestiva satis Divum Catharina Supernis
Consiliis haurit totum jam mente capaci,
Et telluris adhuc feliciter inscia, Cœlum.
Tunc illi omnis sese adytis effundit apertis
Cœlicolũ glomerata Cohors, & Numen amãtis
In morem tunc sipario apparere reducto
Incipit, & certis illi se prodere signis.
Vos ò tectorum latebræ, fidique recessus,
Vos aræ testor, summique cacumina templi;
Omnis quò primùm sese demisit Olympus,
Ut

Ut Superum propius colludere pompa puellæ
Posset, & infantem meliùs lactaret amorem.
Hìc illi Æterni proles æquæva Parentis
Regali in Solio spectabilis, atque suorum
Obsequiis Procerũ, & circũ famulantibus astris
Obijcitur veneranda; animo defixa oculisque
Ora tenet Virgo; fidentiùs involat & mox
Dulcis in amplexũ spõsi, jam jamque propinqui
Numinis; exiliensq; avidas amor explicat vulnas.
Hi lusus, hæc felicem spectacula mentem
Summa tenẽt; has & teneris Deus instruit annis
Illecebras; & corporei solatia sensus
Perfida Divino penitus prævertitur astu.
Ut Divam capiat, Superũ gens vertit in omnes
Sese artes, fraudesque pias; gestitque sub ipsos
Mortales Cœli secreta exponere visus.
Ast ubi Divus amor valido in præcordia sensu
Influit, æternosque alte mens accipit ignes;
Haud memor ipsa sui legesque, & vincula molis
Corporeæ detrectat, & omnibus æthera votis
Suspiciens magnis amat exardescere curis.
Quid Pater (hæc animo noctesq;, diesq; volutat
Diva suo; his Cœlũ supplex, atque astra fatigat)
Quid Pater ò Superũ quid me tua numina poscũt
Dic age; nosse juvat; certè quodcumque jubebis,
Æternùm tua jussa sequar, nutusque tuebor
Per freta naufragiis quamvis metuẽda, per atras
Silvarum ambages, perque avia lustra ferarum,
Perque minas, gladiosque recenti cæde tepentes
Obijciant sese ruptis fornacibus ignes,
Arduaque obijciant montes juga, duraq; passim

Saxa superfusæ cumulo crescentia brumæ;
Quò me cumq; vocas, properē; nec dira mali vis
Agglomerata animum sternet, vel pigra timoris
Consilia, & sensus unquam suadebit inertes.
Addita vis animo divinitùs urget amantem
Acrior, atque omnes jubet expugnare labores.
Dixerat; at summis subitò demissus ab astris
Sub Divæ tectum Gusmanus se intulit Heros,
Protinus æthereo radians conclave refulsit
Lumine, secretæque domûs penetralia cœlum
Accipiunt, cœlique & honorem, & gaudia spirāt.
Tum Superū Civis seque, & sua nomina prodit;
Solaturque pias flammás, dubiasque resolvit
Virginei curas animi, dum talibus infit:
Cœlicolę faciles jampridem excepimus omnem,
Supplice misisti quam tu de pectore vocem:
Si tibi tantus amor divinam agnoscere mentem,
Arbitriumque sequi; nec se satis obiicit ullum
Exitiale malum, aut vis coniurata dolorum;
En optata tenes, jamque in tua vota secundum
Numen habes. Superis adsum tibi certus ab oris
Nuncius; ex me supremi consulta Tonantis
Accipe. Quæ dextra gerimus vernantia semper
Lilia, jam spectas: his consita floribus implet
Pectora, divinusque piè depascitur ignis:
Hæ nostri sunt veris opes, charitesque decoræ;
Hæ cœli pompam, & festiva theatra coronant.
Si tibi curæ est te penitus componere Divûm
Ad mentē, hæc decorent pariter tibi lilia pectus.
Virgineum tibi candorem custodia servet
Tuta satis; thalamum penitus, tedasque jugales
Ab-

Abnue: uterq; parens precibus te flectere quōdā,
Aut terrere minis conabitur; ipſa ſed obſtes
Firmior, ac prudens tandem dediſcere Natæ
Obſequium contende, & vim eluctare Parentū:
Cùm patriæ revocant virtutum è tramite leges,
Seque indignantur cœlo ſubmittere, prolem
In patrias leges pietas facit ipſa rebellem.
Sis audax, atque ingentes ſuper ardua virgo,
Tolle animos; ſummo te jam dignantur honore
Siderei Proceres; jam te ſibi deſtinat uni
Felicē in Sponſam Divumq; hominūq; poteſtas.
Mox ubi tempeſtiva tibi conceſſerit ætas;
Ipſa etiam noſtris duces ſub legibus ævum,
Et nova Guſmanis accedes gloria rebus.
Hæc ait, & latè cœlum redolentia totum
Lilia qua præfert dextra dum concutit, altè
Virgineo divæ mentem contingit odore:
Tum volucri virtute micat, terraſque relinquit
Arduus, & notas divorum abſcedit in arces.
Aſt animoſa Deo Mulier, thalamiſque ſupremi
Fortunanda Poli quos deſuper hauſerat æſtus
Auget adhuc, ſenſuſque animi longè altiùs altos
Evehit, & ſeſe progreſſibus æmula vincit.
Mille per anfractus, & per diſcrimina mille,
Perque neces, aut horrendum minitantia tela
Expediam greſſus; patiar quæcumq; Tyrannos
Ingenium tormenta docet; pulcherrima menti
Stet modò virginitas, & ſancti jura pudoris:
Sic Superis placeā, æternùmq; ferar tua Regum
Maxime; in hoc omnis teneris exarſit ab annis
Cura mihi, his primùm lingua eſt exercita votis.

Talia magnanimo jam dudum accensa puella
Corde refert; capere & potuit nova gaudia sedes
Gaudentum Indigetum, fœlicis & undique risus
Plęna Domus; plausitq; Ales chorus ęthere toto.
Interea annorum nondum bis quatuor orbes,
Ex quo vitalem spirat sata diva sub auram;
Duxerat indocilis Phæbi requiescere currus:
Cum statuit facibus penitus præferre maritis,
Fœcundisque toris pellacis nescia Cypri
Lilia Virgineæ mentis, niveumque decorem.
Ergo ardens precibus præsentem Numinis aurē
Alloquitur, turba rerum arbitrisque remotis;
Scrutantemq; domus latebris jam fallere matrē
Jamque Deo indulgere studet, solisque videri
Cœlitibus: tum offerre juvat penetralia casti
Pectoris, & voti sacro circumdare vallo
Muneris oblati pretium; ne tristem Hymeneū
Sacratos pridem Superis, disperdere flores
Immittat cognatæ audax violentia gentis.
Quod superest, in apertū efferre per omnia tēdit
Conjugiis aversum animum, & melioris amantē
Propositi, fixumque Deo, dum vita manebit,
Juratam servare fidem. Per colla fluentem
Luxuriem, flavique exundans verticis aurum,
Solicito doctum plerisque adolescere cultu,
Diva sibi (ut pateat, tacito quid corde volutet
Consilii, & quàm humanis nobiliora requirat
Ardua mens) rigido gaudet compescere ferro.
Pulcher honos capiti jam decidit, atque volucris
Pōpa comæ; nimiū hęc animi tamen irrita dāt se
Argumenta pii; invisa ad connubia natam
Omni

Omni mater agit cura ; alternatque minarum
Terrorem illecebris. Tandem vētura Nepotum
Obſequia in ſeram haud dubitat ſperare ſenectā.
At nimis audacem pia ſpem conſtantia perſtat
Ludere ; non illam valeant inflectere molles
Blanditiæ ; pariterque odiorum interrita ſævis
Turbinibus triſteſque minas, iraſque laceſſit.
Saxea ceu medio quæ ſurgit ab æquore moles,
Occurritque aſtris, fluctus ſecura tumentes
Deſpicit:hanc circum ſeſe impetus urget aquarū
Omnis,& indomito fremit ingēs gurgite Nereus,
Cum primum ſenſit per cærula regna volantes
Eolias animas, multoque incanuit æſtu :
Ipſa immota manet tamen,atque adverſa laborē
Agminis undoſi ſcopulis infringit acutis.
Sic & Diva ſuæ oppoſitu virtutis iniquas
Artes,atque minas hominum contemnit inanes.
Fœda miniſteria, ac turpem tractare culinam
Si patrius jubeat furor, explorabitur inter
Aſpera magnanimæ prolis patientia victrix.
Squalentem ſeu verrit humū,ſeu fercula tergit,
Seu cererem duri domitam vertigine ſaxi
Inque alimenta parat, perq; aptos digerit orbes;
Dulcis ſemper amor, ſemper pia cura recurrit
Numinis: atque obſtrictā olim ſuadentibus aſtris
Relligione fidem, & nullis revocabile donum
Temporibus gaudens recolit ſibi conſcia virtus.
Nec tamen illa unquam ſaturavit pœna volentē
Deteriora pati. Quoties flagrantibus alto
Igne focis, cum jam ſervili virgea ritu
Nutrimenta adhibet coſtis undantis aheni ;
Ah

Ah quoties cupit aut fumantes æſtibus undas,
Et lentum penitus Vulcanum haurire medullis;
Aut ſupremã animã mediis effundere flammis;
Scilicet ut flores animoque, & corpore ſervet
Impolluta ſuos, ſi quando cruenta repugnet
Ira Tyrannorum, legeſve, minæve procaces.
Spectavere diù Superi, & ſtupuere tenacem
Propoſiti mentem; mox ſeſe ingentibus armat
Prodigiis Cœlum; mox conſpirantia certo
Virginis auxilio Cœli miracula pugnant.
Magnus ab æthereis delabitur Aliger oris,
Et Divæ tectum ingreditur; luctumq; metumq;
Illius intentat manus ardua, & arma minatur,
Fulminaque humanis horrentia cædibus; ipſe
Mille per iratos jaculatur funera vultus.
Poſtquam ſucceſſit tecto metuendus, utrumq;
Alloquitur, cui Virgo tuæ mortalia vitæ
Dona refers accepta; minas, ictumque ſequacem
Vindicis æterni denunciat; effera tandem
Si non abrumpant revocati cæpta, ſuamque
In prolem faciles, animos, menteſque benignas
Acccipiant; neque enim fas eſt avertere (dixit)
Per vim, ſæviſque imperiis; quos auſpice Cœlo
In culmen virtutis agit generoſa voluntas.
Sic ille. At caveis ſubito tremefacta ſub imis
Reſponſat ſonitu domus: exaudita ſalubrem
Incutiunt portenta metum; ſenſuſque feroces
Attonita attonitus genitor cum conjuge ponit.
Continuò æterni Regis ſe nuncius Ales
Explicat, & tenues rapidus diſcedit in auras:
Poſt ubi ſolicitus patris timor obſtitit auſis,
Atque

Atque iras docuit mansuescere; jamque reliquit
Spē thalami genitrix; tū Virginis omnis habenis
Effusis animus virtutis in ardua liber
Evolat, ac felix tandem sua vota secundat.
Gusmani Patris veneranda insignia ritè
Induitur, magnisque ultrò submittere gaudet
Legibus arbitrium: mox nobilis ardor amoris
Acer adhuc magis, & magis ęstuat; audet & omnes
Promptiùs in partes erumpere. Qualia sæpè
Flumina, quę primùm manant à vertice montis
Aerei, tùm per campos demissa patentes
Præcipitant sese; spatio si forte viarum
In medio stet obex impervius, obstantesque
Offerat usque moras; cursu, celerique recursu
Exagitantur: & aucta novis urgentibus undis
Ipsa sibi pugnat, rursumque repugnat eidem,
Turgidaque in montis faciē se promovet unda;
Assidua donec vi demolita protervi
Carceris ambages toto sese eripit alveo
Exitiale furens, collectasque obijce vires
Cum sonitu latè fusos immittit in agros.
Magnanimas furias sub pectore Virginis alma
Accendit pietas, atque extricata paternis
Obijcibus virtus. Libet exercere cruentam
In se sævitiam, rigidisque doloribus artus
Immeritos lacerare: adnexos orbibus orbes
Pœnarum seriem, multa quam cuspide ferrum
Asperat, infigit lateri: mox pœna cruorem
Elicit insontem, & de fossa sub ilia pergit
Pręssiùs ire, viamque sibi ad nova vulnera quęrit.
Accedit crudele flagrum, cui tortile plumbum
Hor-

Horrorem exauget; plumbi liventia restes
Pondera suspendunt; vepres, & acumina ferri
Mille rigent circum, tristesque minantur in usus.
Corripit hæc pia Virgo manu tormenta, sibique
Sanguineum indicit bellum, juvat addere densis
Vulnera vulneribus, veteremque ciere dolorem
Ictibus usq; novis. Rorant jam sanguine membra
Virgineo; horrendumque rubent undantia lora.
Jam procumbit humi defecto corpore; dextram
Irritat tamen, atque in verbera fortior urget.
Alma prius quàm bis duodenas expleat horas
Lux Phæbi; in corpus ter tristia flagra retractat:
Cum placidum fessis mortalibus atra soporem
Nox reddit; vel humi recubat, vel cōsita crebris
Cuspidibus tabulata super; stat ducere somnos
Difficiles: ipsamque jubet sævire quietem.
At quis longa illi pascit jejunia victus?
Delicias, luxumque putat cerealibus esse
Muneribus nimium; telluris agrestia cænat
Germina, & herbarum fœtus, quos nulla subegit
Ars hominum immitem silvæ dediscere succum.
Quid loquar immundā scabiē, squalentia & ægris
Ulcera corporibus, queis lenimenta paratque,
Imponitque manu? Quin ipsa ut fortius obstet,
Imperitetque sibi, (recolens vel mente pavesco)
Enormem extemplo saniem, tabemq; fluentem,
Dum refugit natura; labris pallentibus haurit?
Quidve alias referam pœnas, quid mille malorū.
Nomina? Designem citius, quot littora fluctus
Æquorei pulsent, aut quot sub tempora mollis
Autumni effæta fluitent ex arbore frondes.

Quon-

Quondam inter duras adolescunt candida spinas
Lilia;dumque patēt sensim,nitidoque sub auras
Evigilant vultu, matutinum inter acuta
Munimenta bibunt rorem; seseque tuentur
Obsidione sua, perque aspera, gratia major
Erumpit, ducens plus ex horrore, decoris.
Virginis haud aliter flos inter atrocia vernat
Tormenta,atq;magis Superũ pia lumina pascit,
Arridetque Deo. Humanæ sub imagine formæ
En illi Deus approperans sese exhibet ipse,
Et petit agnosci divino ductus amore.
Virginitas, quam pœnarum firmissima sæpes
Tutaturque,ornatque, Deum sibi fecit amantē.
Illam Divinum Numen ceu mater in ulnas
Excipit, & fovet amplexu, penitusque beatis
Divorum illecebris, cœlestique ubere lactat.
Ter felicem animum, vitali è fonte liquentem
Qui vitã bibit! Huic meretrix babilonia nunquã
Obtulerit blando spumans cratere venenum,
Incautisque dolum dulcem; & potabile lethum:
Omnia desipiunt animo, quem divite vena
Cœlestis vitæ fæcundus inebriat haustus:
Nec satis hæc. Divinus amor majoribus in te
Emicat officiis ò Virgo, ac splendida profert
Argumenta sui magis, & sibi fervidus instat;
Muneribusque suis sua vincere munera gestit.
Jam solio rursum Cœli regnator ab alto
In tua tecta subit: Genitrix huic maxima juxtà
Accedit comes, & Superi venerantur euntem:
Jamque tuũ petit alloquiũ,ac te numinis implet
Afflatu, thalamisque suis mox fædere certo
Ven-

Vendicat, & Nuptæ cœlestis nomine donat.
Pergit amor. Divinus Amans te vulnerat olim,
Atque suis decorat pœnis; quod cuspis iniqua
Crudelis ferri, Isacidum impellente furore,
Corpus in immeritũ Supremi est ausa Magistri;
Id modò Diva tuo ludens in corpore Numen
Artifici pietate refert; penitusque volenti
Plagarum inspirat sensum, dulcemque dolorem.
Gaude jam tantis fortunatissima Virgo
Vulneribus: Quoties facili qui vulnera dextra
Impressit Sponsus, medicaminis afferet idem
Opportunus opẽ, dextramque, artemq; potentẽ;
Et nuper lateri infixum, ac manibus, pedibusq;
Nobile supplicium cœlesti nectare sparget!
Par feret auxilium, cœli pro vulnere Cœlum.
Prodigio tamen in tanto consistere nescit
Immortalis amor; seseque his increpat ultro:
Virgineam, & sacro præfervidam amore Puellã
Vulneribus donasse satis? Sine munere cordis
Nil satis esse animis valeat, quos ducit amoris
Imperium omnipotens, & amico fœdere miscet.
Quin age, & ex altis vitæ penetralibus effer
Virginis, atque tuum cor; tum ars divina docebit
Alterum in alterius succedere pectus, & ambos
Interiora animos cordis commercia jungent.
Ergo fervet amor divino in pectore, majusque
Audet opus; seque ad rerum jam maxima vertit
Prodigia. En ardens Sponsus vitalia claustra
Virginei penetrat cordis, lenique meatu
Fert penitus sese, melior quà sanguis abundat,
Et vitæ irriguus sitientem temperat æstum.

Nul-

Nullus in attactu labor; omnia visa repentè
Cedere, & explicitum cordis textũ omne patere.
Authoris natura sui dum Numina sentit,
Ipsa volens laterum crates, nexusque resolvit;
Atque ipsum cor amat sese ostentare petenti.
Interea rapidam dextram in præcordia; Phæbo
Quà similem emittunt radiata foramina lucem,
Tramite felici miracula prævia ducunt.
Res mira, & nullo quæ non memorabitur ævo!
Exercet pia furta Deus, vitaque calentem
Sanguineam cordis molem (quam nobilis arcem
Servat amor, vitæ gaudens geminare calorem)
Surripit arte nova. Veteri vacat hospite pectus,
Dediscitque animam veterem; sed raptor inanẽ
Divinus complet pretioso munere sedem:
Nempe suum cor subtracto pro corde reponit:
Sponsaque divino spirat dum Numine; lucro,
Quod felix magis est, felicia damna rependit.
O nimium dilecta Deo; cui degere vitam
Cœlicolum, in terris licuit; cui gaudia Cœli
Divinus properavit Amans; sensusque, sinusque
Succendit totos almo vitaliter igne,
Ipse sed humanę resolutus carcere molis
Emeritus jam dudum animus nunc æthera visu
Liberiore capit, Cælum, nunc possidet omne
Plenius, ac Divo propiùs colludit amori.
Inde suam facilis magna cum Virgine Senam *
Aspicit, atque suis incommoda Civibus arcet.

Sicut

* *Coram Senensibus dictum, quos ut Cives suos Catharina tuetur.*

SIcut nulla virginitati, & virginibus tutior ad munimentum custos, sic nulla convenientior est ad ornamentum comes, quàm spontaneis asperata flagellis, cruentata plagis patientia. Intuemini in ipsum, quem vobis jam propono, Aloysium Gonzagam. Ecce in adolescente sanctissimo ex ipsomet cruore per multiplicem vexationem, ac prope dixerim, per ingenium vexandi sui multiplex sponte, copioseque profuso, illibatæ mentis ejus candor virgineus mira quadam ratione, & purius, & pulchrius enitescit.

Beati Aloysii Gonzagæ voluntariæ adversus carnem afflictationes.

CARMEN VII.

DIscite magnanimum perituri corporis hostem,
Seque oppugnantis Gonzagæ discite bellum
Turpiter imbelles ævum qui ducitis, & qui
Ocia, deliciasque inter disperditis annos
Turpiùs abjecti curanda ad corpora mentem.
Gonzagæ haud unquam lethalis conscia noxæ
Mens fuerat, labesve afflaverat ulla pudoris
Virginei florem; crebris tamen ictibus ipse
Innocuos petit ipse artus, atque ære cruorem
Haurit & admotis calcaribus ilia pulsat.
Sæpe catenato defectum verbere cedit
Corpus; & effusus tellurem sanguis inundat.
Ingeminat mala; nec requies datur ulla cruentis
Artubus; atque recenti in vulnere vulnera figit;

Tum

Tum roseus centena per ostia defluit humor;
Defluit & simul insontis pars maxima vitæ,
Inque cruore suo languentia membra relinquit.
Attamen attollitque animos, viresque resumit,
Rursus & in se magnanimas exuscitat iras:
Ad nova defessum repetit tormenta flagellum,
Semi animẽ & dextram fortis ciet; arduus instat
Tortor adhuc sibi, vulneribusq; exasperat altis
Vulnera, & in tergum exangui cervice recũbit.
Ac veluti præceps pluviali cum Jove grando
Dum ruit in terras, cereris lactentis in herba
Munera prima quatit, viridãtiaq; arva flagellat:
Flagrorum haud aliter tempestas concutit artus
Immeritos Aloysi, & sanguinis evocat imbrem.
Exiguæ victu Cereris jejunia pascit
In longas producta dies; tum simplicis undæ
Subsidio immitem sitientis temperat æstum
Gutturis, arentẽ & modico fibrã irrigat haustu.
Hinc te destituunt collapso corpore vires;
Hinc Gonzaga tuos funestat pallida vultus,
Atque horrens macies,& plurima mortis imago:
Hinc succo exhaustũ, & vitali sanguine corpus
Invadit truculenta cohors, & nomina mille
Morborum, stomachi fastidia, anhelitus ægri
Pectoris,& capitis tractanda in Pallade languor,
Et lentæ febris tabes, somnumque, vetantis,
Paulatimque animã suprema in fata trahentis.
Sed tua pœna tibi longe jucundior hoc est
Nomine, quòd multo pœnas cũ fœnore gignit.
Sic te Dive juvat cumulare dolore dolorem.
Præterea tibi cyniphii pœnale volumen

Intexunt villi; & setas moliris equinas,
Innocuo lateri hæsuras; tum cuspide ferri
Tortilis, inque orbes ducti renovata cruentas
Vulnera, supplicioque latus configis acuto.
Atq;his majus adhuc votũ est tibi;nec genus om-
Te tormentorum, sed tu tormenta fatigas. (ne
Necdum te tanto stillantes sanguine terrent
Tortorum species, quos ingeniosa paravit
Dextra tibi, & tua te contra solertia felix.
Quin animo sedet usque novos tentare labores;
Ærumnęq;novũ genus,& nova nomina quęris.
Lora, quibus venatori per inhospispita tesqua
In cursum ardentes mos est cohibere molossos
Arripis, & rigidos Metanææ vertis in usus.
Ergo canum restes calcaribus addis equorum,
Congeriemque struis pœnarum, & sæva subire
Quadrupedũ tormẽta studes;sit & aspera quãvis,
Nõ tibi pęna sat est,hominũ quę crimina plectit,
Ni subeas ultro patitur quas bellua pœnas.
Magnanimũ ò pectus, fortisq;in pectore virtus!
Siccine suppliciis inhiat, qui criminis omnem
Umbrã odit? Tantũ hoc felici crimine damno
Gonzagã, quod sese intactũ à crimine damnat.

OPus habet quandoque vel mutarum animantium magistero institui mens hominis. Hinc pigrum, ac desidem ad formicam allegat divinus Spiritus, ut tempestivæ providentiæ consilium illa monstrante condiscat. Adeo videlicet ab nativa ratione degenerat, & stolida, ac bruta suomet vitio redditur,quę ab Authore suo condita est particeps ratio-

tionis natura. Verùm & rationem, & humanitatem interdum omnem humana natura ſic exuit, ut non bruta tantum, ſed effera, ſed feris etiam ipſis efferatior videatur. Æterni Numinis Majeſtatem, quam ſub myſtici panis tegumento veneratur Chriſtiana Religio, jamdudum homines neſcio qui ſceleſtiſſimi in turpe colluviarium abjecerunt. Adfuit illicò divinitus confluentium apicularum examen, ut mellificio ſuo templum veluti ſubitarium abjectæ divinitati excitaret, & obſequioſæ artis miraculo tantam illam tamque adverſus Deum inhumanam hominum improbitatem redargueret; ut proinde non ad formicas dumtaxat, ſed ad apes etiam meritò ſint homines allegandi: quippe prudentiam ab alteris doceri, ab alteris pietatem poſſunt. Hunc in templi ſtructura mellificantium apicularum laborem ad Euchariſtici Sacramenti contra Sacrilegos contempores obſequium libet nobis in preſentia poeticis numeris commendare: quodque Vates noſter virgineus de virgineis hiſce volucribus ad earum commiſerationem perhibetur olim ceciniſſe, id ipſum erit modo canentibus nobis ad earum commendationem quoddam breviuſculi cantus noſtri quaſi lemma, aut præcentio, & præludium breviſſimum: *Sic vos non vobis mellificatis apes.*

Apes templum ædificant Augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

CARMEN VIII.

VIrgineæ huc volucres, huc jam cõtendite densis
Agminibus; pius en vestris datur artibus usus.
Par est nectarei cœlestia dona liquoris
Vos properare Deo, quẽ nuper (tegmine frugis
Dum latet exiguæ) manibusq; animisq; nefandis
Ex adyto raptum, atque indigna sede locatum
Aspicitis, despectum inter fœdissima rerum.
Mens horret meminisse nefas. Quis talibus ausis
Humanum satis esse genus? Quis pectora credat,
Quæ non immitis nemeæ sub rupe leæna,
Nec diræ genuere tygres: non atra charibdis,
Iratumve fretum spumantibus expuit undis?
Tartara quem metuunt, nutu qui librat & orbẽ;
Cui mitescentes straverunt æquora venti;
Exhibet auratam Titan cui lumine sedem;
Cui Sceptrũ Æthereus Genitor, regniq; superni
Immortale decus statuit, clarosque triumphos:
Hunc Hominum crudele genus tellure regesta
Obruit, & nigra condit fuligine caulæ.
Nunc populare decet cãpos; nunc agmine facto
Ruris opes libare, & summos carpere flores
Vos decet hibleæ volucres; ut nempe favorum
Concrescat moles, & mella tenacia surgant:
Turpiter abjectum quò cerea templa supremũ
Excipiant regem, studiosæ effingite mella,
Spu-

Spumantesque favos; distendite nectare ceras;
Atque operosa pio flagrent certamina nisu.
Non labor in tenui; tenuis non gloria tantum
Exornabit opus, curamque, artemq; sequetur.
Audivere: agiles volitant, jamq; æthere in alto
Fit sonitus; saltusque petunt, camposq; patentes.
Rex præit, insequitur Regem festiva juventus:
Agmine tū misto magnos glomerantur in orbes;
Jamque omnes simul ardor agit per florea rura,
Sollicitatque amor, & generandi gloria mellis.
Pars metit halantes flores, pars flumina libat;
Narcissi aut lacrymam: volitant hæ lilia circum,
Ac thyma sūma leves: nec stat labor omnibus (unus.
Tēpus ubi admonuit tādē decedere pastu,
Conveniunt inter sese, densoque volatu
Certatim properant quò gens ignara pudoris
Projecere latens cereali tegmine Numen.
Melle novo gravidas Ducit Rex ipse catervas;
Illas urget amor, spretique injuria summi
Numinis, & rerum Domini despecta potestas.
Ergo operi accingunt sese; templique futuri
Rex molem orditur, pergit mox turba minorū,
Munere quæque suo: pactoq; in fœdere constant.
Prima locant aliæ fundamina, deinde tenaces
Altera suspendit ceras, pars altera visco
Spiramenta linit, fucoque, & frondibus oras
Obstruit, atque simul latera extruit ardua tēpli.
Culmina pars circum solers, aut imbrice tecti
Extructam finit molem, aut laquearia fingit;
Absit ut è templo gravis inclementia Cœli,
Emineatque decens sua per fastigia templum.

Tum variis ponunt compactas floribus aras:
Atque iterum ceras hæc ipsa ad munia tollunt.
Haud hic panchæis redolent altaria donis;
Haud molles dederunt fumantia thura sabæi:
Hibla tamen melior meliorem huc misit odorē;
Spirat ubique thymū, mella & fragrantia spirāt;
Latè omnes spirant operis caveæque, sinusque.
Jam parvam erexere domū, spretoque sacrarūt
Artifici rerum, celeris monumenta laboris:
Mox epulum ritè ut servet custodia sacrum,
Aurea pixis erit (nam mella imitantur & aurum)
Nectaris hiblæi facili fingenda liquore. (bā,
Nec mora. Melliferā exacuūt nova munera tur-
Exercentque novi per amæna vireta labores;
Donec opus peragunt, & flavæ pixidis orbem
Molliter adstructo circum curvamine ducunt.
Hoc hortantur apes cultu, obsequioque, Piorum
Obsequia; at contra illorum qui spernere Numē
Sunt ausi, scelus infandū & facta impia damnant:

NOn modò heroici carminis tubæ, sed avenæ etiam tenui Sylvestrium pastorum, deductis plerumque versibus inter se concinentium, Supremæ fortunæ viros in argumentum accidere posse, nemo non novit, qui Maronem noverit; cujus est sublime illud, & canorum in eclogis: si celides musę paulo majora canamus; non omnes arbusta juvant, humilesq; miricę; si canimus sylvas, sylvæ sunt Consule dignæ. Hoc equidem Magni Vatis, & Maximi Vatum documentum secutus, rudem, atque agrestem musam in argumenti maximi majestatem

tem adduco. Et cui vel grande epos non impar esse vix possit, illi humilem, & humi planè repentem eclogam deditam, dicatamque hic penitus volo. Pastores Corydon, & Alphesibæus sibi invicem gratulantur Daphnin sanitati restitutum. Qua occasione ambo in Daphnidis laudes certatim excurrunt. Per Pastores Corydonem, & Alphesibæum Hispani Proceres; per Daphnin Carolus Secundus Rex Hispaniarum intelliguntur.

*Pro reparata * ex gravi morbo Caroli Secundi Hispaniarum Regis valetudine gratulatio.*

CARMEN IX.

Coridon: Alphesibæus.

ÆStus erat, siccosque urebat syrius agros,
Et medium titan nuper trajecerat axem
Arduus; ethereæque plagæ de vertice summo
Apricis magnorum animantum errantia terris
Corpora contracta referens minuebat in umbra:
Tunc phaetonteam pariter venere sub alnum
Ad gelidos fontes, & flumen propter Iberum
Concordes animæ Corydon, atque Alphesibęus;
Solstitium ut pecori possent defendere, & unà
Mite per agrestem modulari carmen avenam.
Sed cui deberent primùm sua carmina, quodve
De tot nominibus ferrent ad sydera nomen,
Secum agitant: tandē unanimis spectavit uterq;

* *Anno circiter 1674.*

Daphnin; uterque suã tibi vocẽ Daphni sacravit.
Hìc aliquid nobis liceat memorare, quod orsus
Tùm Corydon, & contrà reddidit Alphesibæus,
Alterius dum certaret modulatibus alter.

Cory. Alphesibæe Deo meritas persolvere grates
Quis nostrùm valeat; facilem qui præbuit aurẽ
Nostris ægroto nuper pro Daphnide votis?
Soliciti ah quoties oculis humentibus, atram
Per noctẽ, & Iove sub gelido spectavimus astra:
Ah quoties Superos in vota vocavimus ambo
Hoc pariter sub Cœlo; & dum custode Lycisca
Erraret tacitum pecus, atque imbelle per herbã.
Id modò nos meminisse juvat, cũ Daphnĩ habe-
Incolumẽ, & veteri penitus lãguore solutũ: (mus
Hæc Superũ Pater, hęc nobis nova gaudia fecit,
Ille tulit præsens quæcumque rogavimus, ille
Pastorum in Daphnin, tenerũ solatus amorẽ est.

Alphes. Si quondam exactos (retro dum tristia cedũt)
Jucundum memori est animo tetigisse dolores;
Et nos in rigido nuper quæ flevimus antro,
Vel liquidum propter fontem, vel subter opacũ
Arbustum, docili recolamus pectore, ut olim
Effusi nobis pariant solatia fletus. (bat
Nõne memor satis es Corydõ, cũ Daphnin age-
Dira lues vitæ febris, nimis improba febris,
Tristitiæ visum squalere insignibus orbem?
Aera per vacuum porrectis nubibus ibat
Tristis, & atra dies, & credita sæpe tenere
Curriculo in medio tacitæ confinia noctis.
Non Cœlum, non terra suo ridebat aprili;
Oblitæque suum tempus Zephiritides auræ
Ces-

Cessabant, totoque idem dominatus in anno
Intempestiva fluitabat aquarius urna.
Coryd. Quin etiam è ripis certa sine lege paludes
Egressæ agricolarum insultavere labori:
Erranteſque priùs tenues per gramina rivi
Prçcipiti æquarunt mox plena fluenta tumultu.
Gurgitibus crevere suis Duriusque, Tagusque,
Atque hic, quẽ propè cantãtes cõsedimus, amnis;
Æquoris in speciem latè exuperantibus alveis.
Tempore vix illo (vos ò mea rustica tecta,
Vos sylvæ testor virides, campique patentes)
Tempore vix illo cultis tua gratia terris,
Vix ullus decor & pratis, rurique voluptas
Ulla fuit: lusit sterilis tritura colonos,
Palladis & termes raras eduxit olivas,
Rarus & erubuit sinuoso in palmite bacchus.
Non rude pastorum carmen, non fistula cannis
Disparibus compacta illis sonuere diebus
Perq; humiles valles, perq; aspera culmina mõtis:
Vix ovium pecus ad notas tum sedulus herbas
Emisit Pastor; vix & sitientibus hædis
Aut fontẽ ostendit, labentẽ aut fluminis undã.
Vix fuit intentus sua propter ovilia custos
Ingluviem obscenam rabidorum arcere luporũ.
Alphes. At simul ex morbo, pastorum maxima cura
Convaluit Daphnis, simul arida corpore cessit
Febris; & ipsa timens nostras libitina querelas
Abstinuit vita telum fatale novella;
Vidimus incolumi lętantem Daphnide mundũ:
Risit verna dies, hyemalem terra veternum
Excussit; subitoque ceres stetit ardua culmo;
Re-

Respondítque avidi votis tritura coloni.
Non bacchus vitem, aut oleis loca consita Pallas
Destituit; ramos curvarunt poma feraces:
Flumina in antiquum jam tũ contracta meatũ,
Excessere suæ non unquam è margine ripæ.
Ductores pecorum læti ad montana capellas
Pascua, & ad fontem pastas egere salubrem.
Vidimus incolumi lętantem Daphnide mundũ.
Coryd. Quid mirũ, incolumi exultat si Daphnide mũ-
Daphnidis una salus terras, cęlũq; serenat: (dus?
Nunc tener est, floretque recẽs puerilibus annis
Ille, nec è terra pronos contingere ramos
Evalet, aut ramis hærentia carpere poma:
Ast ubi magnanimum pectus, mentemq; virilẽ,
Qua puer excellit naturæ præcoce dono;
Non impar ætas, roburque virile sequetur,
Noster erit Daphnis fama super æthera notus:
In Sylvis pastor Daphnin cantabit, & ipsæ
Silvæ iterũ referẽt, atq; antra loquacia Daphnin.
Te Daphni hæ pinus, te coniferæ Cyparissi,
Te patulæ valles, teque omnis ripa vocabit,
Muscoso rapidum quæ limbo attingit Iberum.
Alphæs. Post quàm primævæ vernantia tempora vitæ
Daphni tua impubes crescendo exegerit ætas;
Omnibus & terris ditabere, & omnibus undis.
Ipse Tagus voluet solito cumulatius aurum
In ripam, & tibi thesauros exponet aquarum:
Quodque olim pretium occiduę ablegavit in orę
Ignotos natura sinus, tibi proferet uni.
Felix ò Daphni, & felix cum Daphnide Pastor,
Quicunque in campis vitam traducis Iberis;
Tam

Tam dives fuerit cùm Daphnis, tu quoq; dives
Sẽper eris, procul hĩc aberit, procul om̃is egeſtas.
Coryd. Per te Daphni tuis Saturnia regna redibunt;
Non lupus inſidias teneris meditabitur agnis
Noxia non aconita, latens non anguis in herba
Lædet oves temerè per amæna vireta vagantes:
Vitalis cibus omnis erit, ſed ſi qua malignum
Per fraudem tellus tunc miſerit extera germen;
In grege cautus erit curando quiſque, nec ullus
Ignarum pecus ad lætalia pabula ducet.
Alphæſ. Te quoq; Daphni ſuos quõdã producere fines
Jactabunt paſſim Agricolæ; dum vomere terras,
Et bove robuſto ſolers proſcindet arator;
Dum falcẽ immittet frõdator in arboris umbrã,
Sæpe ſuam læti referent, tua munera, pacem;
Teque canent certatim auctorem nobilis oci.
Coryd. Omnes Daphni tuo complebis nomine terras;
Piſcis & ante levis Cœlum per inane volabit,
Aut ales nabit liquido ſub gurgite, & ante
Vel Rhodanũ bibet Hiſpanus, vel Gallia Bethĩ;
Quam tuus è memori paſtorum pectore vultus
Excidat. En ſacro obſtricti nunc fœdere noſtrũ
Quiſq; tibi obſequiũ, noſtrũq; vovemus amorẽ.
Alphæſ. Fortunata Parens, cujus lactantibus olim
Hauſit ab uberibus vitalia munera Daphnis;
Gaude jam propè tẽpus adeſt, quo ſentiet omnis
Hiſpanus, quantam tulerint tua viſcera prolẽ;
Tam fauſtum in tempus facili ſervabere Cœlo
Tu quoque, & uſque tui fama lætabere nati,
Et tibi continget tantæ pars maxima famæ.
Coryd. Illius ò quæ tunc etiam nova gaudia pectus

Ten-

Tentabunt, tibi quẽ Clemẽs * ò Daphni, tuiſq;
Romuleus Paſtor, dudum ſuadentibus aſtris,
Rettulit in Patrũ numerum, ſanctumq; Senatũ.
Daphnidis in magnos hoc carmine luſit honores
Fiſtula Paſtorum Corydonis, & Alpheſibæi.

EMinentiſſimi Senarum Paſtoris Cœlii Piccolominei mortem, & laudes per paſtoralem poeſim adducto inter Paſtores carminis amœbei certamine proſequi nobis viſum eſt Auditores; atque ſub Dametæ, & Niſi nomine Senenſes Cives deſignare. Et nos videlicet tangit, acuitque hortatibus illis Poeta: *Egregias animas, quæ ſanguine nobis hanc Patriam peperere ſuo, decorate ſupremis muneribus*. Enim vero Egregia, Cœlius, anima hanc Patriam & Civis noſter virtutibus ſuis exornavit, & Antiſtes noſter excubiis ſuis (deprompt[illegible]us ubi opus foret vel ſanguine) cuſtodivit. Proinde noſtro & Civi, & Antiſtiti meritiſſimo Cœlitibus reddito, nobiſque ſublato hoc amoris quà in luctum, quà in laudem erumpentis pignus, & monimentum appendimus:

In

* *Card. Everardus Nitardus à Clem. electus.*

In Cœlii Cardinalis Piccolominei Senarum Archiepiscopi funere.

CARMEN X.

Dametas: Nisus.

Vitrea quà celeres in Thuscum Nerea latè *
Arbia voluit aquas, sat cognita Virginis Urbi
Arbia; Nisum adiit Dametas; alter, & alter
Pastores, secum hæc pastorum more locuti. (cũ
Dam. Unde, aut quò tibi Nise pedes properãt, age me-
Hic viridi paulùm lentus requiesce sub umbra;
Nam quamvis facili, mollique tepescit in aura
Jam ver innocuum, medium tamen arduus axẽ
Sol habet, in medio solet esse nocentior axe
Sol quondam pecorũ ductoribus, atq; magistris.
Nisus. Sic amor, & votum est; tristis solatia dũ mens
Unde unde exquirit, tenditque dolore levari.
Damet. At quæ tanta tibi, tantive est causa doloris?
Nis. Dum gaudes Dameta hac sola in valle, fluentem
Propter aquam placidos securus condere soles,
Heu nescis luctus, heu tristia funera nescis:
Cœlius ille olim Pastorum gloria, Pastor
Nobiscũ haud colles post hac spectabit apricos;
Nec captabit amęnã in margine fluminis um-
Decessit functus vitali luminis aura. (bram:
Damet. Pastores inter non major fama, nec unquam
Nostra hæc majus erat, nec erit per ovilia nomẽ.

Occi-

* *A duobus Senensibus dictum.*

Occidit ergo decus nostrũ, & munimen;honorẽ
Ah socii properate supremũ, & lugubre munus.
Nunc virides rami,lacrymosaq; põpa cupressus,
Nunc magno cineri certent sese addere flores:
Nis. Nuper ego ipse suo extinctum sub culmine vidi.
Oh quales circum gemitus, luctusque suorum!
Et laus alternat lacrymas, & lacryma laudes.
Squalet tota domus, grex totus funere squalet;
Et plorant aræ sacro mærore nigrantes;
Templorumq; tholum funestat thurea nubes.
Damet. Scilicet & visi nostra hæc per rura dolores:
Nimirum ingemuit turbatis Arbia lymphis;
Ingemuit Cœlum, & nocturnæ sibilus auræ;
Aeria ex ulmo dudum mea cura palumbes
Ipsæ etiam gemuere;& oves,pavidæque capellæ
Oblitæ notos fontes, & graminis herbam.
Te Cęli extinctum fontesque, & flumẽ,& aurę,
Et volucres,& oves,collesque,& prata dolebant,
Et celsæ pariter pinus, humilesque miricæ;
Teq; ipsa hæc nemora,atq; ipsa hæc arbusta vo-
Nis. Exanimes etiam tophos, & frigida saxa, (cabãt.
Ut perhibet, tetigit mæror, tetigere querelæ:
Nam quà porta patet, cui cõstat nomẽ Ovili; *
Haud procul urbe silex vetus, & secura ruinæ
Ante diù steterat; sed nuper mole caduca
Dissiluit, casu Cœli commota supremo.
Damet. Tanto nos ipsos ò Nise dolentius æquum est
Ingemere, & guttis aspergere largius ora,
Cum doceant nos ipsa dolentia saxa dolorem.

Nis.

* *Accidit per id tempus cujusdam vetustæ molis ruina propè Senarum portam, quæ dicitur Ovile.*

Nis. Quī lacrymis animus properat superaddere laudē,
Ut laudet mihi vox, oculus quē plorat ademptū?
Dameta alternis hæc pendere munera fas est
Me tecum meritis Cœli, factisque decoris.
Damet. Incipe, namque loco tibi me juvat ire secūdo.
Nis. Tantum alios supra evehitur tua gloria Cœli,
Assurgit quantum tenues super Arbia rivos,
Quantum inter frutices culmen vivacis olivæ,
Senensis quãtum inter nostra mapalia turris. *
Damet. Proceræ quantum alni, atquæ aeriæ cyparissi,
Populeus quantum se tollit in ardua vertex
Inter parva, & humo vix erumpentia fraga;
Tantum alios inter Cœli tua gloria surgit.
Nis. Omnis hiat nunc flos, arbos reparatur & omnis,
Dum genitalem haurit penitus natura vigorē;
At dum tu Cœli vitalia lumina linquis,
Omnis ager lãguet, moritur flos omnis, & arbos.
Damet. Nunc & hyems, imberque abiit, venere favoni
Imbelles animæ, tellus nunc vernat, & aer;
Cœlius ac mihi dum rapitur, boreamq; geluq;
Et Scythicam patior verna inter tēpora brumā.
Nis. Te Cœli custode tui per prata colubros
Haud unquā timuere greges, nec triste venenū:
Innocuo aut fonte, aut puro ducebat ab amni
Tuta ovium sitis humorem, laticesque salubres.
Damet. Dum servaret agris pascentes Cœlius agnos,
Immanes fugere feræ, fugere rapaces
Ore lupi, patulis & hiantes rictibus iras
Jam dudum trepidi procul abstinuere vel ursi.

Nis.

---

* *Senarum Turris vulgò del mangia.*

Nis. Dũ ſtabit lupa Senenſes ſuper alta columnas, *
Dum noſtra Etruſco ſtringentur littora Nereo,
Atque ibit leni dum gurgite floreus Arnus;
Nomen, honoſque tuus Cęli tua fama manebit.
Damet. Immò lupa excuſſis cedat licet ipſa columnis,
Hetruſcus parcat vel ſtringere littora Nereus;
Atque ſuum dediſcat iter vel floreus Arnus,
Haud Cœli noſtro labetur pectore nomen:
Nis. Cumque revertentur tua Cœli ſacra quotannis
Funera, humũ teneris conſternã frondibus; ipſi
Adiiciam tumulo violam, & molles hiacinthos,
Narciſſum, & pulchræ viridantia munera myrti.
Damet. Floriferi ipſe equidẽ populabor veris honores,
Atque roſas addam, atque ſinu dabo lilia pleno:
Plurimus atque etiam peregrinos ignis odores
Vret, & à plena templum fumabit acerra.
Nis. Non mihi Dameta tecum certare canendo
Fas fuerit; tecum hoc ſi quis certamen inibit,
Certabit cornix philomelæ, & oloribus anſer.
Damet. Has ſincerus amor Cœli me dicere laudes
Inſtituit; pietas, & amor fecere diſertum.
Sed jam mons longam vicinus porrigit umbrã,
Noſque monet tandem ſeræ decedere nocti.
Vix modus, ac finis; miſero indulgere dolori
Vix amor abſiſtat, ſi non abſiſtimus ultro.
Fas tibi, ni piget, ad noſtrum divertere tectum;
Non mella, aut ficus deerunt, ſiliquęq; recentes,
Non deerunt nivei ſpumantia cymbia lactis.
Nis. Haud renuam: modò tu revoca de rupe capellas,
Atque refer numerũ, en veſper procedit, eamus.

Poſt

* *Marmorea lupa columnis impoſita apud Senenſes.*

POst auſpicatiſſima initia Ptolemæi apud Senenſes Cives Collegii ab ejuſdem Convictoribus Academia ritè, publicèque eſt habita, cui congruenter diſponendæ heroicum carmen introductum eſt. Carminis porrò illuc univerſa deſtinabatur molitio, ut multis per fabulam, & fabuloſa Numina poetico more confictis, multis per allegoriam adumbratis, non paucis ſub aſpectum velut in orcheſtram datis; pluribuſque tum equeſtribus, tum litterariis exercitationibus identidem interpoſitis comprobatũ denique ſtaret, è republica eſſe Ptolemæi Collegii juventutem & litterarum ſtudiis, & equeſtrium artium ornamentis pariter informari. Conſultiſſimum quippe, togæ, militiæque ſubſidiis, vel ætatulam primam inſtitui, quandoquidem ſine utriſque conſtare ſecuritas, & felicitas humanæ vitæ vix poteſt. Ita ferè in his mortalium rerum vicibus agimus, agimurque mortales, ut ſæpe parvi ſint foris arma, ſi non eſt conſilium domi; rurſuſque parvi ſit conſilium domi, ſi non ſunt foris arma.

Litterariæ, & Equeſtris exercitationis in Ptolemæo Senarum Collegio nobilibus formandis Adoleſcentibus inſtitutio.

CARMEN XI.

FElices Juvenum Cœtus, primordia rerum
Grandia; dum luſtro Phœbæus currus in uno *
Sudat adhuc; jam Sena vide, jam ſuſpice, tantas

F In

* *Anni circiter quinque à Collegii hujus initio erant tunc elapſi.*

In gremio, uberibusque tuis adolescere laudes,
Scilicet eventns faustos dat Jupiter ipse
Mediceus,* Chisiumque arridet lumine sydus,
Ducta sub aspectus tantos Ptolemæja Phæbe *
Sese aperit terris, magnisque favoribus implet.
Nobilis at tandem numerus, lectissima Pubes,
Quæ sedem è laribus patriis venere sub unam,
Et ritum subjiere unum, normamque recentis
Collegi; quibus aut studiis, aut artibus acres
Erudiant animos, titulosque, & avita coronent
Ornamenta Patrum; perq; atria longa, per aulas
Et genus, & pulchrum Majorũ in imagine fumũ
Non illaudati aspiciant, segnesque nepotes?
Hanc primùm curam rerum incremẽta novarũ
Tanta petunt, multa & florentes Pube penates,
Laxatique domus fines. Insubria mittit,
Et Ligurum regina suos; dat Etruria prolem,
Datque suam Umbrorũ Regio, surgẽtia in altũ
Semina proventum, & faciles virtutibus annos.
Ast animas plures, nec voti unius an unus
Ardor agat studiorum, & laudibus urgeat iisdem?
In diversa vocant diversi in pectore sensus:
Attamen & vigor, & primęvus in omnibus ignis,
Assultansque novus circum præcordia sanguis,
Nobilitasque sui, atque suorum conscia, multum
Martis habẽt; jãq; in clypeos, & in arma minãtur.
Hinc rebus Bellona suis crudelia sperat
Lucra, ferosq; animo quõdã meditatur honores.
Nẽpe Equites hĩc dira parat, parat inde Phalãgas;
Desti-

* *Cosmi III. Magni Ducis patrocinium, etiam Card. Flavius Chisius Collegii fautor egregius.*
* *Luna in gentilitio stemmate Ptolemęorum.*

Deſtinat huic cãpum, & diſcrimina pulveris; illi
Thirrenas claſſes navali Marte tonantes,
Et maris ærumnas; hunc arcibus, & ſimul illum
Cogitat infenſum; & clades, ac funera verſat;
Spemque animo lactans votis ingentibus inſtat.
Sydereos ergo Patres, & nobile Divûm
Vulgus adit, mentẽq; aperit ſoror effera Martis,
Germanoq; probat cognata in mente ſororem:
Ingenuos juvenum ſenſus, atque indolis altæ
Indicia ad lituos, ad caſtra, ad prælia poſcit.
Olli ſubnectit clamydem, morſuque coercet
Fibula; depromptæque manus, & brachia tota
Ad pugnam ſpectant: rigido ſtat pectore plũbũ,
Thoraciſque moræ: galeæque ſuperbia fronti
Imminet; oris & imperium, furiaſque, minaſque,
Livoremque trucem, & Bellonam duplicat ipsã.
Talis adeſt Superum alloquiis, ac talia jactat:
Cernitis Hetruſcis extantem collibus Urbem,
Heroum cunas, Matrem, altricemque Virorum
Cœlicolæ? En quà liberius ſe compita laxant;
Ægipti ſenio, & generoſo nomine Regum *
Inſignis, lunarumque orbibus æmula cœli
Aſſurgit domus; intus habet creſcentia rerum
Principia, & magnã jam nunc mõſtrantia frugẽ.
Stãt juvenes crebri; & quãquã ille (probãte ſevero
Delectu) flos eſt, equitũque, ducumq; propago;
Jam luſtrare licet numeros, ac dicere turbam:
Et pretiũ turba ipſa frequens, numeroſaq; ſervat.
Sit meus ille globus, florenteſque imbuat annos

* *Ptolemæorum Domus, quæ tunc erat Collegium Ptolemæum in celebri ejuſdem nominis foro.*

Auspicium, nomenq; meũ. Mihi debita Numen
Vẽdico. Nõne petĩit mea signa; manusq; micãtes
Jam fervent in tela etiamnum, dum vetat ætas
Ærumnæ impatiens; dum penè laboribus impar
Annuit uberibus, matrisque vocantibus alnis?
Nempe puer clarosque patres, atavosq; potentes
Consimili sub corde gerit, seque increpat audax
Sanguinis exẽplo, generisque, domusq; triũphis.
Indolis erectas animas, sensusque superbos
Ne studium triste, aut Parnassi insania speret:
Nam magnæ genitos famæ, atq; annalibus olim
Curarum macie tacitarum, & Pallade vana
Attrivisse nefas. Quorsum ludibria Vatum,
Ludicrũq;, Sophos, nomen? Torquẽtur in arcto
Carminis anfractu; ampullas, nugasque canoras
Ut digitis numeret, libertatemque loquendi
Contrahat ad metri miseras mens anxia leges.
Scilicet hoc per opus mittant in sæcula nomen;
Provocet hic fastos sudor, famamque loquacem:
His nunquam moritura det artibus ęra caminus,
Trinacriusque labor. Quantò præstantius illud,
Ardua metiri latos ad prælia campos,
Molirique aciem; incertum per nerea classem
Eolias contra vires, contraquę ruinas
Asserere; atque ictus, & certã ad vulnera dextrã
Cominus, aut longe librare, ac tendere in hostẽ!
Quid nõ grãde refert equitũ manus, ęquore toto
Pulvereas inter nubes cum fertur, & ensem,
Spiculaque intorquet, multoque cruore furentẽ
Describit cursum; mox mille hinc, inde recursu
Implicat ambages, flexuque laborat in omni?
Ne

Ne plura ingrediar verbis; quid denique majus,
Quàm lux, nudatique nitor ferri, & seges ampla
Telorum, fremitusque virum, densæq; cohortes,
Altaq; signa, & tympana, & æra vocantia martē,
Augustūq; illud, propius ductū ab Jove summo,
Inferre exitia, & clades; ac posse timeri?
His atrox Bellona: ast hæc ubi dicta, Deorum
In diversa * abeunt animi, & sententia pendet;
Dant quāquā pondus metuendi arbitria Martis,
Nutusq; ad ferrū, atque ad ferrea vota secundus:
Quippe Deā extemplo, seseque probavit in illa
Stragis, & irarum Deus. Ergo numina rursus,
Conciliumq; anceps repetit, vimq; addere dictis
Aggreditur Diva; & sua stat fiducia menti.
Nec tantum verbis peragit rem, ludicra ponit
Bellorum simulacra, iras, pictosque timores,
Horroresque leves, martemque in imagine totū;
Atque pedū celeres motus, numerūq; sequentes
Pernicis cytharæ, accessus pariterque recessus,
Saltusque, orbesque, & sudata volumina fronti:
Atque equites quidquid deceat, vel corpora bello
Instruat, enodetve artus, ac membra resolvat;
Certum est augusto Divorum inferre theatro.
Ne levibus solum stet tanta negotia dictis (strū
Transfigere Ætherei ò Proceres; umbratile no-
Sistimus e[illegible]obis Decus, innocuosque furores,
Et lusus equitum, cassosque cruoribus ictus.
Excipite hæc faciles, atq; ipsa ab imagine tandē,
Quod nostri pretiū, veris qui splendor in armis,

* *Diversa illustrium Virorum sensa in liberis suis instituendis hic allegoricè denotantur.*

Promite judicium dictisque, & sensibus æquis.
Vix ea; dein oculos paulum deflectit ab alto
Consessu; & vultum imperiis erecta superbis
Juratam sibi progeniē, & pulchra arma volentem
Mādat adesse statī;& quis nobis, quis modò vestrū
Ludat, ait, subitam speciosa in imagine pugnam
O Pueri; & Martem Marti ostendat, suaque illi
Dissidia,irasque,& sine sanguine mōstra reponat?
Quis nam nunc agilem sese alitis instar in artem
Explicet,expromatve aliquid, quod nobile, quod (sit
Aptū equitū ingeniis,aptūq;virentibus annis?
Huc vos, huc primum jubeo, succedite campo;
In medium * properate,levem committite rixā;
Edite strictam aciem, similesque nocentibus ictus.
Huc ades, huc modò tu celeres edocta juventus
Agglomerare choros, celeresque innectere gyros:
Emicet, ac sese jaculetur in aera miris
Quisque modis: addat pedibus calor æmulus alas.
Continuo huc alii: mea jussa capessito jam tu
Indolis ò tantæ puer; impero, te dare ludos
Signiferi in morem, & vexillum attollere dextrà,
Victrices aquilas, palmaque, auraque tumentes.
Vos pariter,vosque in similem contendite laudem
Jam jam,& idē versate decus. Tū protinus adsint,
Quotquot equū insiliāt,generosaq; terga fatigēt:
Quos gestator amet ledæi Cyllarus astri,
Aut qui memnoniæ ducunt argentea Matris
Lumina, quique vehunt Cœlo Phæbumq;diemq;
Approperet mihi nunc, ac turba sonora laboret
Ambiguum,mistumque melos,discrimina cātus,
Mul-

* *Ludos varios nunc, & deinceps varii adolescentes exhibent.*

Multisonasque fides, cytharasq; ac Prothea vocũ,
Exhibeatque suum levis hæc discordia Martem.
Deinde quis? Huc arces, & propugnacula nobis
Qui ponat, fidum infidis munimen ab armis.
Oh olim nostro ducet de numine quantos
Ille animos; magnęq; Deę quãtũ instar in illo est!
Mox laudum geminata juvant quos præmia, posco:
Nã sua nunc pedibus, suaq; imminet alea dextrę.
Em Juvenes, generosa manus, descẽdite in ęquor;
Hic vobis tentandus honos. Deducite gressus
In numerum; constet pariter sed dextera Marti;
Vulneribus ludum componite, vulnera ludo.
Id fallax olim dederat solertia Divæ
Cælicolis; nec difficiles ad ludicra vultus
Arrisere; at adhuc sensus non omnibus idem.
Illa animo quamvis nondum sat compote voti
Abscedat, tamen haud mentem dejecta superbã
Quod nondum tenuisse videt, spe præcipit alta:
Interea in sua castra Globos, turbamq; calentẽ
Restituit; summo & sese demittit olympo
Præcipitem Dea sæva: velut cum Jupiter atra
Molitur sub nube metus, atque ignea terris
Excidia; obscurum scindit cita flamma vaporẽ,
Et ruit exiliens in nota Ceraunia fulmen.
Haud aliter: Dea quippe subit fervorque, furorq;
Ire ad Hyperboreas animas, & ad aspera Cœlo
Corda suo, atq; iterum Riphæam invisere gentẽ;
Opportuna sibi hospitia, & sat cognita regna.
Continuò sua tum solers in tempora, fertur
Pallas & ipsa Deum ad sedes, causamq; perorat.
Quẽ nũc Sena tenet numerũ, ingeniosaq; nutrit

Agmina (noſtis enī ò Superi) mihi creſcere poſt
Fas, æquũq; fuat; vota in temeraria nũquā (hac
Excurrat noſtrum, cum ſit ſapientia, numen.
Cernite dedaleas animas, nulliſque minores
Conſiliis, ſtudiiſve, aut rerum ambagibus altis;
Palladi conveniunt: At inanibus ocia curis
Pallas, & annorum pretium diſperdit. Inanes
Ergone quis curas, fatua & ludibria ſanus
Dixerit; abſtruſas rerum pervadere cauſas,
Atque ſeneſcentis longinqua exordia mundi,
Et primos regnorum ortus numerare; mariſque,
Terrarumque vias metiri, errantiaque aſtra,
Et Phæbi ſervare vices, & diſcere Cœlum?
Nam ſapiens, noſtro ſpirat cui numine pectus,
Non uſquam rudis eſt, non eſt peregrinus; at illũ
Tota ſui Civem rerum natura ſalutat.
Sed ſua, & illa quidem præſignis gloria bello eſt;
Ac magnũ quiddā arma ſonāt, clangorq; tubarũ;
Fulminei demum Patris, cæloque tonantis
Multum habet in populos iraſci, ac poſſe timeri.
Eſto: Quid ampullas tantas nunc Pallada contra
Projiciat quiſquam? noſtrũ & bella ardua noſtrũ
Numen amat, nobiſque olim ſtat gloria in armis:
Et placidas colimus curas, molleſque receſſus;
Et cum tempora dira jubent, atq; ipſa vocat res,
Inq; arces, inq; arma animus micat, immemor (umbrę
Imbellis; penituſq; ſuas dediſcit Athenas.
Atque omnis cura, atq; omnis petit ardor arenā.
Dimidium decus eſt Bellona, at Pallas utrumq;
Eſt & idem, librum quod geſtat, & Ægida numē.
Et quiſquam jus, faſq; mihi dubitetve, negetve,
Quas

Quas dudum gentes Senentia mænia servant,
Primævos flores, magnæ primordia frugis;
In nostras artes, nostroque adolescere cultu?
Hæc ubi Cælitibus sapiens Dea, dicta secundum
Continuò murmur, placitumq; ac plena volũtas
Excepere. Probat Divum Rex, improbat ipse
Nec Mavors, quamquã tranquillæ nescius artis,
Totus in arma Deus. Tum Pallas sentiat, inquit,
Nunc ò, nunc Superi Cęlũ hoc; & sydera spectẽt,
Conveniat studiis eadem quàm Pallas utrisque;
Utque ferocis amet mores, & facta Gradivi: (tes.
Et mihi sũt, mea quę properẽt modò jussa cohor.
Em Juvenes (stat enĩ & nostrã hùc educere põpã)
Ecquis nunc aliquid nostra hìc argutet in arte,
Quod simul ingeniũ, simul ardua pectora nobis
Exprimat, atque animos Martiq; mihiq; paratos?
En modus, & ratio. Sapienter ludat in armis
Arguta ingeniorum acies, ac vivida virtus;
Immortale canat, Martem, nomen, suaq; illi
Prodigia exornet, pulchrasque recenseat artes:
Bellorum & sertis coeat Parnassia laurus.
Huc tu, huc primus, Pieridũ qui maxima cura es,
Et cui Pierides dudum sunt maxima cura:
Ede animæ * specimen tantæ. Ludicra furoris
Mõstra, levesq; minas, vetitosq; nocere mucrones
Dic brevis, a celeri correptus Apolline Vates.
tu quid cunctare? tui nunc muneris esto
Castalias tentare novo sub carmine vires.
Vibratos numeris saltus, cytharæque jubenti
Ob-

Ingenii specimen in variis nunc, & deinceps ludis poetice describendis varii adolescentes exhibent.

Obſequioſa pedum momenta, citoſque rotatus
Aſſimulante ſtylo, docilique imitabere verſu.
Huc age nunc, huc tu, nam ſentio, te ciet intus
Acer honoris amor, laudumque accenſa cupido:
Exere te nobis; & præfulgentia bellis
Vexilla, audaciſque tumentia ſigna triumphi
Præpetibus verſata modis, faſtuque decoro
Profer, & ad vivum properanti finge camæna.
Tu mea nunc mandata Puer cape. Tollere turres,
Arceſque, & pinnas, & propugnacula muris
Tuta dare, unde hoſti ſecurior imminet hoſtis,
Militiæ ingenium eſt, animiq; in Marte probati:
Hoc ſubitis modo tu Muſis, & Apolline prõptus
Ingenium ingenio deſcribe, & laudibus effer.
Te mihi te dein fas fuerit parere vocanti
Spes mea; noſco etenĩ; jã pridẽ in carmina ferves.
Et bellus labor ille eſt, & ſpectabilis ardor
Martius, aſſultu rapido ſuper ardua ſeſe
Terga fugacis equi jaculari; jamque furenti
Erectum imperitare virum, immotumq; volanti.
Aggredere hãc verbis laudem; ſed gallica quãdo
Verba tenes, Vates nobis jam Gallicus eſto;
Sic par eſt, pulchrumq; decet nã Gallia Martem;
Alter at * Italiæ oſtendat tua ſenſa fidelis
Interpres; magnum nam dicta ſonantia Martẽ
Italia demum gaudent: quamquã omnia fertur
Terrarũ ſuper imperia, & ſuper Æthera Mavors;
Senſibus, ac verbis geſtit Romanus haberi.
Huc mihi tu demum non ultimus ordine laudum;
Accidit extremo quamvis tua Muſa labori.
Eſt

* *Verſus hic aliquot gallicè dicti, mox italicè redditi.*

Est ludi ſpecies, cui Martia pectora totas
Tota vovent vires; plenis ſpectanda theatris:
Hoc juvenes ludo dextramque, pedeſq; fatigant;
Ac ſua dum manibus ſudantur ludicra, plantis
Et ſua ſudantur pariter; nam miſta choreis
Dant bella, & bellis ſimul implicuere choreas:
Ducitur in gyrum chorus, & certamina fervent,
Atq; pedes pedibus denſantur, & enſibus enſes.
Jam Puer ò ſolers, ac ſtrenue ſtans pede in uno
Hunc facili geminum muſa complectere ludum.
Talia Cælicolis Pallas gratiſſima coram
Edidit. Arriſit Cœlum, arriſere ſerena
Sydera, & æternus riſit, plauſitque Senatus.
In primis Pater ipſe Deæ, ſummique ſupremus
Concilii moderator ait: certiſſima noſtri
Arbitria hæc ſunto; neu quis contraria faxit:
Hetruſco quæ ſub Cœlo generoſa Juventus
Creſcit in egregrias animas, & ſub Duce Magno,
Illius, atque meis fauſtùm ſpectantibus aſtris,
Æquare aggreditur Patriæ ſpẽ, & vota Parentũ;
Ingenium, ſtudiumq; colat, nec non bona bellis
Ornamenta paret, ſibi qualia vendicat ortus,
Atque equitum cultus; ſic Pallas denique totam
Virtutem, numenque illis inſpiret utrumque.
Juppiter hæc, at continuò lætiſſima Pallas
Emicuit celerans ſua vota, & juſſa Parentis.

NOn pauci ſunt, qui à ſanctioris quadrageſimæ jejuniis juxta Eccleſiaſticum morem ſervandis omnino recedere religioni utique habent; plus tamen æquo opipara illorum ſunt, & de-

deliciosa jejunia; ac dum abstinentiæ nomine suum ipsi luxum consecrare se putant suomet luxu abstinentiam ipsam profanant. Horum epulas, propterea quod nimis habent condimentorum, & saporum, hoc est, ad Christianæ pœnitentiæ legem, modumque minus sapiunt; satyrico sale conspergimus. Vos interim adeste animis, favete linguis Auditores, nobis causam adjudicaturi, haud segniter pro frugalitate certaturis.

Contra exquisitas in sacris Quadragesimæ jejuniis delicias.

CARMEN XII.

SUnt quibus in satyra curas, & inania vota,
Aut effrænatos, cæcosque cupidinis æstus
Arguere est animus: quodcumq; libidine quondã
Impellente malũ mens audet; quotque volutat
Gurges avaritiæ sinuoso in pectore fraudes;
Et quos dira parit miseris Erycina labores;
Quæque sibi ambitio vigilans insomnia fingit;
Omnibus his rigidi vivacia stigmata vates
Impressere, suis plectentes crimina cartis. (lex,
Mollis Otho, incestusq; Nero, truculentus, & ex-
Syllaque crudelis nullo non audiet ævo.
Quis non opprobriis Cyprũ, Capuæq; tabernas
Latravit meritis? Variæ mala copia cœnæ,
Luxus, & ebrietas, atque immanissima ventris
Ingluvies nostris sunt nomina trita poetis.
Ast ego Christiadum jejunia lauta notabo,

Fuca-

Fucatumque ſcelus titulo virtutis inani.
Tempore quo primū cinis eſt in vertice ſummo
Ritè datus, generis lethea oblivia noſtri (di
Pectore ab īmemori excutimus,dehīc nobile cor.
Propoſitum redit; & ſcelerum contagia quiſque
Sponte luit, duraſque ſubit, ſe judicę, pœnas.
Non operoſa gravant nitidas tū fercula menſas;
Græcandi verbum latiis procul exulat oris;
Pinguia ſat præſtant fumoſi prandia piſces;
Intubaque & caules lacrymoſo non ſine porro.
Nec tamen his, inhiet quantum vitioſa cupido,
Utimur;at ſtomacho quantum interpellat inani
Vel durare diem, vigilem vel tendere noctem.
O ſi qui auſtera incoluit ſpelæa ferarum
Hilarion, noſtrum foret hoc delatus in ævum;
Quàm propè geſtiret,quòd jam fęcunda virorum
Sobrietas olim ſqualentibus abdita ſylvis,
Luxurie expulſa, lautas migrarit in Urbes.
Sed ſi poſt paulo, nimirum quinque diebus
Nec dum tranſactis, hominis convivia ſpectes,
Qui ſe jam Curium ſimulaverat, aut Tuberonē,
Pauperie illuſtres animas, paruiſque beatas
Hortorum dapibus, cīcēris, laganique patella:
Heu fruſtra heſterni quæres veſtigia victus;
Non eadem ſpecies eſt menſæ, non ſapor idem
Eſcarum: Ciceres, lactucæ, rapula, caules,
Et quot ſunt, paſſim plebejus quæ terit uſus;
Sordeſcunt ſtomacho veluti minus apta ſuperbo.
At non cænantes reficit tunc ilice tuſca
Pinguis aper, Marſis errans non bucula campis,
Nec qui picenam populatur turdus olivam:
Tunc

Tunc impunè lepus ſaltus, luçoſque peragrat;
Nec vaga mordaces metuit tunc cerva moloſſos;
Parcit & altilibns teneris non uncta popina.
Quid tandem? Macram ne audebis dicere cęnã?
Si Cœlo, ſilviſque vagantes tangere prædas
Dentibus eſt vetitum, nũ examina lubrica ponti
Vitabunt cæcoſque ſinus, latebraſque plagarũ?
Eſca vel externis petitur peregrina ſub undis,
Bajanus murex, ſcarus, & lucrina peloris,
Et quot luna tuo creſcunt cum lumine teſtæ.
Verrimus eridano mullos; ſcrutamur echinos
Miſeno: immenſo ſtant prandia noſtra labore.
Et bona pars hominũ antycira inſanabilis omni
Hæc celebrãt temerè, hæc jactant jejunia paſſim,
Queis puto Phæacum vel bacchanalia vinci.
Protegit ingluviem ſpecioſi nominis umbra
Aurea ſobrietas; vitium ſub imagine claræ
Virtutis latet, atque alieno blandius ore
Decipit, incautoſque hominũ venatur amores.
Sat placet ipſa ſuo quamvis fœdiſſima vultu
Culpa; quid & faciẽ, & nomen mentitur honeſti?
Delicias prohibent jejunia, at æquora mutant;
Et nova ſubtili dat condimenta palato.
Proh Superi talis ſi ſunt jejunia luxus; (ſtas?
Quid luxus? Scelus, & quid, ſi tã abnormis hone-
Cur verum non lance ſua mens librat, & ęquum?
Quæ cineri; & lacrymis ſunt apta cibaria, ſume:
Monſtrum eſt, quę potus inter laſcivit, & eſcas
Lauta nimis ſacro coram mærore voluptas.

Sub-

SUbinde verò noſtræ ſunt partes aut ſatyricos riſus Democriti, aut Cynici Diogenis ſannam, aut fervidam bilem Lucilii, aut totum denique Perſium, in eos concitare, qui ad ſibariticas voluptates apprimè facti; natique abdomini ſuo popinones, & ganeones, quocumque immigraverint velut antiquę Hebręorum turbæ projectiſſimo quodam amore nimis terram (non utique Promiſſionis illam) ſapiente, atque adeo inſipiente nimis ſecum aſportant Ægyptum ſuam ollis,& carnibus redundantem. Hujuſmodi hominibus ne ſacri quidem cineres ritè ſuper caput aſperſi excutere potuerunt ex animo bacchanaliorum luxuriem. Adhuc per operoſa ingenia, atque impendia cœnarum ſuarum ſua devorant patrimonia, & luctuoſa jejunii macie ſuas emaciari voluptuoſas menſas, non ſinunt; imbecillum videlicet, & valetudinarium corpuſculum, atque jejunantium cibariis non ſatis idoneum identidem cauſantes. Contra iſthæc turpis gulæ mancipia vel naturam ipſam carmen alioquin negantem exacuens omnis in præſentia indignatio noſtra ſuccenſet, ac dixerim propè ſuccenditur, & argumentatio ne multiplici rem denique totam conficiet, ſi tamen ad argumentationes capiendas pateat unquam heluonum ſenſus, qui quantus, quantus eſt, niſi ad pinguiora obſonia affatim capienda non patet.

In eos, qui per invaletudinis speciem à quadragesimalis abstinentiæ præcepto se volunt exemptos.

CARMEN XIII.

CUm ver egelidum spirabilis aura favoni
Reddit, & hiberni decedunt æthere cauri;
Christiadum redeunt jejunia: Longa diebus
Sũt quater illa decẽ, è numero sua nomina ducũt
Tum se sarcophagi prodũt, quibus uncta culina
Ridet, & unum est votũ avibus, crassoq; macello
Grãdis aqualiculi immensum supplere baratrũ.
Me crudũ (sed ait nonnemo) & oluscula, & omne
Herbarũ genus, irriguis quod nascitur hortis; (ti,
Porrigere haud ęquũ est, stomachoq; gulęq; petẽ-
Nãq; gula, & stomachus capiturq; & lęditur illis.
Post cinerem aspersum capiti vix unus, & alter,
Si novi numerare, dies est actus, & imis
Bis mihi delibatum oleum fervere medullis
Jam cæpit; mordent rapidę præcordia flammæ,
Aret pulmo, sitit guttur, stant sæva palato
Ulcera, & exangui vox trunca laborat in ore.
Sæpe caput dubia vertigine nutat, & ipsum
Exagitant cerebrum stabilis mendacia motus.
Præterea accedunt ægroto in corpore squalor,
Nec non ægra dapum fastidia; dum malè rursus
Infusum sibi venter acescere sentit acetum.
Abstineam? At pisces, caules, lactuca, legumen
Non sapiunt, linguã austerus nisi vellicet humor.
Desine plura loqui, sat doctus es arte medendi;

Sat

Sat bene morborum ſpecies, & nomina calles:
Ægrotũ nemo, medicum te credimus omnes.
O bone, te gula ſolicitat; tibi prandia ſordent
Macra, nec altilibus viridantia rapula mutas
Æquo animo, aut ſiccas apris fumantibns uvas:
Nec vigilis nocturna probas alimenta lucernæ,
Quamquam hæc cãpani tibi ſuadere trapetes.
Eſt omnis tibi pernicies in cuſpide linguæ,
Judice qua ſemper plebeja ad fercula nares
Contrahis, atq; avium pretioſa cadavera quęris:
Ægrotas animi vitio, non corpore langues.

Omnia ſed cautus facio, certiſque medentum
Conſiliis auſculto libens: qui calleat, olim
Quidquid divina monſtravit in arte Machaon,
Ille mihi eſt author, communi ut lege recedã,
Quæ ventris deſiderium, triſteſque latratus
Nos prohibet ſolari quadrupedum, atq; volantũ
Carnibus, & ponit noſtris viridaria menſis:
De me (dic ſodes) quiſnam tibi ſenſus inhęret?
Nõne ego divinũ metuo imperiũ? an mihi vana
Relligio eſt? An ſunt inferni, fabula, manes?
Des aliquem, cui ſint languentũ corpora curę;
Hic ſi fortè negarit, ea me lege ſolutum,
Quã modò Chriſtiadæ ſervant, dũ grãdior ætas
Sufficit, & validæ ſtant firmo in corpore vires;
Continuo ciceres repetã, & mihi tẽpus in omne
Importuna fames rigida cruciabitur herba:
Nec leviora feram iis, quæ multo ſqualidus ęvo
Pertulit Illiricus Bethlęæ habitator Eremi.
Agnoſco vocem. Hæc paſſim cauſantur ineptè
Degeneres animæ, quarũ eſt obſcœna voluptas

Abiicere humanã curando abdomine mentem.
Sed quid de Medico? Paucis properabo fateri:
Nescius ille mihi, vel credulus esse videtur,
Vel pavidus nimiũ Quid enim? Discernere sano
Lãguentẽ pulsum qui nesciat, hic mihi magnus
Esse Machaonia videatur in arte Magister?
Mentitur quisquam capitis, stomachiq; laborẽ,
Nec Medicus videt ex certis mendacia signis?
An catus ille videt penitus? Quin cautior ergo
Meudaci prohibet morbo jejunia frangi,
Apponi & mentis cyprii fomenta caloris?
Abnuere an dubitat, sibi dum non debita poscit
Qui sit dives, eques, totaq; timendus ab Urbe?
Sese aliis facilem ut præstet, se perdit iniquus
Ipse sibi; invidiam vitat, sed Numine læso;
Statque illi æternis aliena heu gratia damnis.
Vis non ulla mares animos à tramite recti
Flexerit, humanis nec si mugitibus instet
Bellua dędalei nimis in sua fata Perilli.
Illuc unde meus discessit sermo, revertar:
Te fractum dicis languore, & febribus; esto:
Sed cur illecebris imbuta nocentibus esca,
Totque tibi morborum irritamenta probãtur?
Optima sylvarum, cœlique, fretique voraces,
Si modò suppeterent; licèt exitiale venenum
Sint tibi, læthales acuant & febribus æstus.
Quæsitas lacubus, tyrrheno aut gurgite prędas
Retia dum mittunt, nova tunc obsonia sumis;
Prisca tamen retines. Misces conchilia turdis,
Mollibus atque agnis, necnon agrestibus apris.
Tam multa heu cupidi vẽtris rapit una vorago
Pa-

Pabula;quęq; agitãt ęvum terraq;,mariq;(uno.
Diverſa, hęc ſtomacho pariter tumulantur in
Nec tibi quanta illinc ſuccreſcat noxa, laboras:
Languorem ſimulas, ut bacchanalia vivas.

PHiloſophicæ ſcholæ Præceptor Auditorem ſuum etiam poſt exactum autumnalis ruſticationis tempus, diutius quàm par erat in Tuſculano morantem, Romam denique ad repetenda priſtina ſtudia Philoſophorum invitat; illud in memoriam reducens, ſuas & in voluptatibus alternationes, ſuas tempeſtivitates probari: ſique prægustati laboris perpeſſio veluti præeundo animę ſenſum non exacuat, molliuſculum otium, & ſcitamenta deliciarum nequaquàm ſapere. Huc ſpectaſſe nimirum viſus eſt Sapientiſſimus Socrates, dum cauſam rogatus olim, quare contentius ambularet, eam reddidiſſe narratur, ut ambulatione contentiore conditiorem ſibi ſtrueret cibum, atque obſonaret quodammodò famem ſuam. Hinc Sapientiſſimo Socrate Sapientior Auguſtinus, ipſas (inquit) voluptates humanæ vitæ etiam volontariis moleſtiis homines acquirunt: & ebrioſi quædam ſalſiuſcula comedunt, quò fiat moleſtus ardor, quem dum extinguit potatio, fit delectatio.

EPISTOLA.

CARMEN XIV.

SAt ludo, ſomnoque datum eſt, ad Pallada mentẽ

Jam revocare decet, faciem dum ruris amæni
Hibernum ſydus boreali exaſperat ira .
Nēpe nec arboribus decor eſt, nec gratia pomis;
Pampineum ponit palleſcens vinea luxum;
Atque effæta ſuis ſqualent ſine frugibus arva.
Unde tibi, aùt quò tãtus amor, ruriſq; cupido?
Emeriti redeunt urbana in tecta Coloni:
Et procul urbanis è finibus uſque tenent te
Ardua Telegoni juga duros inter Agreſtes?
An ſitus, & lugubre juvat ceſſantibus agris
Naturæ ſenium, aut colles, ſilvæque ſilentes?
Accipe nunc, quo rem deducam: pluribus eſto
Deliciis teneare, leves in collibus auræ
Aſpirent, virides hilarent ſua murmura ſylvas,
Mitis hyems tepeat, mitiſſima poma feraces
Dent horti; biferoq; rubens in palmite bacchus
Autumnum agricolis alieno menſe reducat.
Idcirconè annum ſic tu tranſegeris exlex?
Sic operum vacuus, curiſque ſolutus honeſtis?
Quin ſtatuit votis certum ſapientia finem?
Ludicra dũ tempus ſuadet, ne cõtrahe frõtem;
Poſtulat at tempus dum ſeria, ludicra mitte.
Non ſapiunt, licet Heſperidũ ducãtur in hortis
Ocia, ni præeant ceù condimenta labores:
Sunt magna in lætis quoq; tædia, tritaq; longo
Infelix animus ſolatia reſpuit uſu.
Eſto voluptatis modicus, jucunda voluptas
Ut tibi ſit. Quàm rure magis capiere ſereno,
Si caput à ſtudiis laſſus deceſſeris Urbe!
Aſſidua poſtquam verſaſti mente Minervam;
Tum pete proſpectus latè Maris, & tibi clivo
Ru-

Rusticus ostēdat Præneste, aut Tibur ab alto,
Aut intervallis contractæ culmina Romæ,
Et prope frustrantis dubio vaga lumina visu.
Tū luce hortorū Dryadesq;, vel Oreades umbra
Te nemorum recreare queant, argenteus & tū
Najadum liquidis salientum in fontibus imber.
Illuc cessatum studiosas ducere curas
Suave erit, & pulchrū, vis unde erūpit aquarū,
E scatebrisque suis mille in divortia sese
Scindit; ibi & ludit sinuoso tramite; ibique
It præceps; alibi sublimiter exit in auram.
Quod defessa sibi debet natura levamen,
Hoc juvat, & melli est; vitium fastidia gignit.
Discīctus nebulo, atq; inglorius omnibus horis
Sardiniam inveniet Capuæ, tristēq; Seriphum:
At sibi qui requiem post acta negocia quærit,
Sentiet hic media Bajas, Capuamque Seripho.
Ergo ad Aristotelē, doctumq; Platona redito:
Omnes te Romæ supremo Sole manemus;
Visere sique iterum libeat tibi rura, licebit,
Nuncia cum veris nos prima reviset hirundo.

APud amicum alter amicus ultro se criminatur per litteras, quòd insolens ante hac scribendi fuerit; tum aliquibus per jocum intermistis faustos illi Christi resurgentis dies apprecatur. Ad extremum significat, se litteras ad ipsum latino carmine scribere, & scripturum in posterum, ingenii, ac styli gratia in poetica scriptione qualitercumque exercendi. Etenim quæ à caballino fonte velut per longam fundendi carminis consue-

tudinem non humectatur vena, infelici desuetudine arescit tandem, ac sterilescit, ut carmen deinceps effundere vel nullum possit, vel si nonnullum, certè miserum, & salebrosum, & Minerva (quod ajunt) invita, atque Appolline nullo.

EPISTOLA.

CARMEN XV.

SÆpe mihi videor tristes audire querelas,
Queis nostrũ meritò calamũ reprehẽdis inertẽ.
Quid cessas in verba tot, inquis, mẽsibus? An nõ
Fædus amicitiæ alterno sermone fovendũ est?
Quòd si conceptas audire, & reddere voces
Nos longinqua vetant adeo intervalla locorũ,
An nequit id præstare fidelis pagina munus?
Jam satis Harpocrati, quẽ mesta silẽtia Numen
Agnovisse suũ Phariis narrãtur in oris; (lentẽ
Sat, multũq; datũ Harpocrati est: Nũc tristè si-
Omnis amicitiæ lex increpat, ac prope cogit,
Officio residem scribendi intendere dextram.
Æqua satis (fateor) tua nos querimonia tãgit:
Jamq; diu calamo abstinuisse pudetq; pigetque.
Heu quoties, quoties redeuntes colligit ignes
Mẽstrua luna, novũq; subĩde adolescit in orbẽ;
Dein monet, exactũ exacto cũ lumine mensẽ:
Ullam nec dicit tibi littera nostra salutem.
Prima ruunt anni fugientis tempora, jamque
Confecere sua medium vertigine cursum:
Nunciat & nullam tibi littera nostra salutem.

Ah

Ah pudeat mea dextra, mei quòd pignus amor is
Tam leve avara negas; & amici vota rogantis
Despicis; ah pudeat: quænam te causa moratur?
Perdere num dubitas tenuem, vilēq; papyrum;
Ne scōbris miseros det epistola scripta cucullos
Rugoso & piperi neu penula, neu toga fiat:
Id mea dextra times? insanum mitte timorem.
Hæc satis: amoto jam tempus seria ludo
Scribere; nam modicum decet esse jocūq; salēq;
In primis dulci voveam quid majus amico,
Quàm queat ut sospes studiis, curisque solutis
Condere felices (redivivo Numine) soles?
Tum paucis simul exponā, cur fausta precatus
Isthæc adstricto numeris sermone tibi sim;
Scilicet ut revocem desuetā in carmina mentē:
Nam veluti bello telorum attrita coruscat
Sæva acies, ipsoque exercita fulgurat usu;
At dum sanguinea decedit miles arena,
Horrescit scabra positum rubigine ferrum:
Haud aliter longo sine cultu turpiter hirtum
Redditur ingenium; nec divitis aurea linguæ
Vena fluit, celerem tardat si desidis oci
Ferrugo mentem, & subtile retundit acumen.
Hinc nisi sponte sua quis plura poemata pāgat,
Ludere dum chartis gestit felicior ætas;
Cum volet exiguū meditādo extundere versū,
Heu frustra calamū, vivos mordebit & ungues.
Ergo mihi hāc veniā posthac dabis, ut tibi no-
Nēpe vel inculto describā carmine sēsus. (stros
Incastigatæ præstat li mata poesis,
Quæque olcat curæ multum, vigilisq; lucernę;

Profuerit tamen (è nimio ne noſtra veterno
Torpeſcat penitus rudis, informiſq; camæna)
Utcumque incõptũ,& ſecurũ fundere carmen.

IN primario Senarum Templo artis, & operis muſivi miraculum Authore Mecharino Beccafumo conſpicitur. Eo conſtratum, & celebratum miraculo pavimentum eſt, diù incuſtoditum, pedibuſque paſſim, ac palam detritum; donec hiſce incurioſis detrimentis vindex interceſſit admiratio; & prætenſis deſuper tabulatis operoſum ipſum ſpectaculum, ut ſapientioribus oculis, ac judiciis in longiores ætates opportunè ſervaret; ſpectatori vulgo ſurripuit. Adeò igitur eminentis, quantumvis infimo in ſolo jacentis opificii lineamenta, ac tenorem poetica vobis deſcriptione conabimur hìc adumbrare. Enimverò tanta eſt in lapidibus, & lapillis artificioſi illius laboris felicitas, ut eamdem pari deſcriptionis felicitate per me vobis exprimendam confidere, citra crimen temeritatis nequaquam poſſim. Tantis proinde intervallis opus illud (fateor equidem) ſuperabit deſcriptionem noſtram, quantis idem exuperat & materiam ſuam.

Muſivum opus Mecharini Beccafumi Senenſis in præcipuo Senarum Templo.

CARMEN XVI.

QUà ſtat multiplici Senenſis maxima Templi
Ara gradu erecta, atque educto vertice ſummũ
Sum-

Summa tholũ propiùs ſpectat, ſpectabilis ipſa
Mole ſui, multoque ſimnl ſpectabilis auro;
Æternis ſpirant Mecharini emblemata ſaxis,
Teſſellatum cpus, & felicis gloria dextræ.
Hoc opus (ut vivax fugientia ſecula vincat;
Pulvereuſque ſitus tantæ ne obliteret artis
Prodigium) tegit in tabulas diducta cupreſſus.
Aſt ubi Virgineam ſublatã ad ſydera Matrem
Chriſtiadæ celebrãt memores, & Sena reſultat
Divorũ ad plauſum, ac cęlo ſua gaudia miſcet;
Tũ templũ omne renidet;& in diverſa reductis
Prorinus obiicibus templi patet area dives
Dędaleis opibus,pretiumq;in marmore fixum.
Hìc lapis Abramum elatis ſublimè lacertis
In caput immeriti librantem funera nati
Indicat:en manibus proles poſt terga revinctis,
Inclita ſpes, generis proles ſpes una futuri;
Quod pietas acuit, mitis ſubit hoſtia ferrum.
Interea è Superis citus Aliger evolat oris,
Præcipitemque in colla necẽ ſuſpendit, & altè
Inclamans Genitorẽ ingentibus abſtinet auſis.
Artis opus miræ! jamjam loquiturque, tonatq;
Aliger, & dextram revocat ferientis, & ipſi
Spectatorum oculi excipiunt è marmore vocẽ.
En hìc in crimen, fulvum conflare metallum
Audet, & in vituli cultum ſeſe abiicit aurei
Iſacidum mala turba. Nefas immane dolenti
Aſpiciens animo Moſes furit arduus, & quas
Dextra gerit legũ tabulas, tollit ſimul ambas,
Et ſimul ad cautem alliſas in fragmina ſolvit.
Quã penè hìc gelida quãvis in imagine, Moſes
Ma-

Magnanimas micat in furias;calet ira:metuque
Dixeris Isacidum riguisse in marmora Gentes.
Hìc densos inter fremitus,turbamque virorum
Eminet è tumulo vitulus, non aureus ille;
Attamen in saxis spirat pretiosior auro. (rat
Haud procul hìc sparsim valles, saltusq; perer-
Hebræum agmen;jamq;omnẽ sitis arida vulgũ
Torret; & apparent nusquam solatia fontis.
At ductor pius algentes è rupe liquores
Evocat, ac silicem vitreas emollit in undas
Unius imperio virgæ; mox excitus humor
Prodigialè fluit; certatur protinus; ore
Ille hiat occurrens, colloque, & gutture toto;
Ille cavis manibus, ciathisque capacibus ille
Ceu nectar rapit affusum; pars maxima longè
Prægustant avidis oculis, votisque tenent se
Suspensis. Isthæc rerum spectacula quondam
Cõformata tuo Mecharine in marmore vivũt.
Hinc spectatorum stupor inscius hęret, & ipsã
Naturam stupuisse putem; se quippe potenti,
(Si qua fides oculis) spirantem agnoscit in arte.

CErvum illum, cujus Virgilius noster libro Æneidos septimo mentionem facit; & & cuius etiam vulnus ab Ascanio inter ferarum venationem inflictum idem vates peracutè comminiscitur, velut flabellum fuisse ad excitandũ cum Latinis populis crudelissimum Trojanorum prælium: poetica vobis paraphrasi in præsentia describemus. Vos in ipsam, quam damus ad spectaculum, feram, animorum aciem intendite: nec deter-

terreat interim, vel avocet ab jucundo ſpectaculo quorumdam cum Macrobio Cryticorum procacitas importuna, illam ipſam allatrantium, & prope mordicùs corripientium feram, quaſi frigidè nimis ab egregio Vate confictam ad ſerendam videlicet tantarum diſcordiarum ſegetem; bellique tam effrænatè graſſantis, tam efferatè ſævientis materiam.

Aſcanii venatio, & Silviæ Cervus ea venatione exagitatus, ac ſauciatus deſcribitur.

CARMEN XVII.

Hìc ſubitam Canibus rabiem Cocythia Virgo
Obiicit, &c. Lib. 7. Æneid.

ÆNea ſatus, Æneadum ſpes, pulcher Julus
Per ſylvas quondam, luſtra & nemoralia circũ
Carpit iter, rapidiſque feras venatibus urget.
Scilicet his ardens ſtudiis juvenile ſecundat
Ingenium, volucriſque inter ſpectacula curſus,
Dum catulos ciet, inque agiles perniciter audet
Ire feras, ſinuatve dolos, laqueoſque plagarũ;
Sudata imbelles artus per ludicra durat.
Aſt hìc in Teucros furiales excitat æſtus
Alecto, ſpargitque cruenti ſemina Martis:
Errantes etenim Sylviſque, arviſque Moloſſos
Efferat; exacuitque ſagacem naribus iram.
Illos tangit amor cervi, prædamque frequentes
Tartareis acti furiis per teſqua requirunt
Ardua; & hæc ſævos in agreſtia tela coegit
Agre-

Agrestes; bellum & peperit fatalis origo. (rh
Cervus erat forma insignis, quẽ ad pasvua Tyr
Rustica ductabat soboles, reducemque foveba
In stabulo. Cervũ circa mens omnibus una est
Hunc, dum Matris adhuc sitienti pendulus ori
Quęrit opem, atq; inhiat distẽtas lacte papillas,
Materno Pastorũ audax manus abstulit antro:
Excipit at cervæ genitricis ab ubere raptum
Sylvia pastoris Tirrhi de stirpe puella;
Illius & lævem frontem modò blanda reclinat
In gremio; modò per clunes, perque ilia ducit
Leniter obsequium dextræ; setasque rigentes
Cõponens iterum, atq; iterũ officiosa remulcet.
Ast ubi paulatim ramosa superbia summæ
Cervici decus excrevit, pompamque minacem
Extulit, ingeniosa suo tum Silvia Cervo
Florea serta parat, vernum populata decorem
Prata per, & lucos virides; & pensilis horti
Dędaleam speciem pulchra inter cornua nectit.
Quin etiam, ne quà cutis horrear impare villo,
Sæpe feri tergum radiis emendat eburni
Pectinis, aut fonte in vitreo mergitq; lavitque.
Sedula sic cervum docuit dediscere Virgo
Ingenium sylvestre, & amantẽ nigra pavorem
Spelæa; humanæque pati consortia gentis.
Ille sinum domini, ille & convivia novit,
Atque hilares inter strepitus, & propter herilẽ
Accnbitum, multoq; calent dũ prandia baccho;
Securus dapibus ventrem solatur opimis.
Inde domum egrediens nullo ductore vagatur
Per saltus, at ubi occiduo se prodit Olympo
Hes-

Heſperus, & noctem denunciat; ille ferarum
Sedibus abſcedit, memor & ſua tecta reviſit.
Ergo vagum procul à ſeptis effuſa canum vis
Exagitat curſu, juxtà dum fluminis undam,
(Qua ſe merſabat crebris illapſibus ultrò)
Æſtivas umbras, & frigus captat opacum.
Aſcanius; rabidis ſimul ac latratibus æther
Inſonuit; laudum ſtimulante cupidine pectus,
E faretra celer armatam rapit alite virgam
Cuſpide, fatalique ferum tranſverberat ictu.
Saucius hic ſtabulo ſuccedit, & omne querelis
Tecum implet. Subitò immitis manus ardet
Agreſtum
Sãguineũ in Martẽ; primus cruor imbuit arma:
Et juvat innumeris populorum cladibus, unũ,
Idque feræ vulnus per tela cruenta rependi.

ELEGIACA.

LIBER II.



Mnium ferè nequitiarum labes inde humano generi enascitur, quod in præsentis vitæ dulcedinem amore se nimio ingurgitans homo mortalium, & mortalitatis universæ extremum finem secura nimis oblivione transmittit. Huic filiorum suorum securitati, quæ omni periculosior est alea, amantissima parens Ecclesia per aspersum verticibus nostris cinerem (unde etiam salutarem quaàraginta dierum abstinentiam auspicatur) præsentissimè quotannis occurrit. Super hoc argumento saluberrimè austero, felicissimè luctuoso elegia nostra effusè lamentabitur. Ejus vos lamentis patientem accommodate aurem Auditores, illud recolentes vobiscum, quod à sapiētia Salomonis accepimus divinitus monitum, videlicet in domum luctus ire præstabilius nobis esse, quam in domum Convivii. Certè solutiores in risum plerumque stulti, profusiores in lachrymas sapientes; sique descriptum sibi modum transilire interdum norma sapientiæ posset, in Heracliti credo, quam in Democriti partes aliquantò procliviùs declinaret.

In anniversariis Cineribus: humanæ mortalitatis conditio.

CARMEN I.

(vertex!
QUàm bene nunc sacro squalet mihi pulvere
Quam mihi funereus convenit ille color!
O utinam ille meo sincerus pectore fixus
Stet monitor; generis me monet ille mei.
Devius, haud unquam virtutum è calle recedam,
Ille mihi modò sit pro monitore cinis:
Ludicra nec rerum me fallet imago, nec unquam
Illacebris capient vana theatra suis.
Quantula pars terræ caput hoc, hæc tempora fient;
Oraque, quæ vita nunc vegetante vigent!
Corruet hæc fato compages corporis uno
Omnis; eritque illi mox domus, urna brevis.
Hìc cæca sub nocte fluent pallentia tabo
Membra suo; turpi deficientque situ.
Hìc tremuli vermes, pestis numerosa, per ima
Pectora certabunt fervere, perque fibras.
Indè minutatim populatrix turba medullas
Hauriet; & sanies fæda alimenta dabit.
Inde etiam mures, pavidum genus, & super artus
Usque fatigabunt, & super ossa famem.
Ac demum toto superet de corpore si qua
Portio, ea in cinercm mox abitura levem est.
Huic parcet cineri tempus, tam vilia namque
Scit dedignari pabula tempus edax.
Tam modicum è nostro superabit corpore, ut illud
Respue-

Respuere annorum possit & ipsa fames.
Hoc nobis fatum miseris, hic terminus ævi,
Ultima & hæc nostri meta laboris erit.
Tales ipse gravi dum volvo in pectore curas;
Protinus indignor quidqnid in orbe libet.
Indignor villas, æstivaque frigora, teque,
Quæ taciturnum animas garrula limpha nemus:
Hortosque indignor, charitesque in flore rubentes;
Quantum & temperies verna decoris alit.
Nec quæ camporum tractus, & Nerea latė
Prospicit undantem, me domus alta juvat.
Nec juvat excipiens spirantem porticus auram;
Cœlestem quamvis leniat aura canem:
Eniteat quamvis pretioso marmore strata
Porticus, & sinuet nobilis error iter:
Incumbatque altis testudo superba columnis,
Materia insignis, dędaleaque manu.
Nempe Nomas solers sua pingere saxa, columnas
Misit, opes fulvas misit & ipse Tagus.
India misit ebur, pretium cumulavit & ipse
Arte sua Zeuxis, Praxitelesque sua.
Quamvis una olim tot opes peregrina coarctet
Porticus, haud unquam porticus illa placet.
Nec moles, & tecta placent, quibus aucta superbit
Roma, tulitque inter nubila summa caput.
Cræse tui atque auri magnos, atque ęris acervos;
Odi, & Otho luxum, deliciasque tuas:
Attale vestem odi patrimonia tota trahentem;
Odi mollitiem Sardanapale tuam.
Omnia deficiunt, vestes, luxusque domusque;
Omnis in interitum pompa caduca fluit.

Op-

Oppida quin etiam quot adhuc cecidere? quot olim,
Quæ modò ſublimi ſunt in honore, cadent?
Tabidus illam urbem vitioſi perdidit æſtus
Aeris, & vitæ perniicioſa lues.
Horrida ſub dio ſqualet tunc mortis imago;
Paſſim anima cives deficiente jacent.
Continuò intereunt pueri, innuptæque puellæ;
Natorumque inter funera acerba Patres.
Expirant epulas ſuper; & confuſa ſopori
Mors venit, inficitur peſte vel ipſa quies.
Plurima tum ſeſe Libitina immiſcuit auræ;
Lethifer atque auræ quilibet hauſtus erat.
Sic domino viduatæ ædes periere, nec ipſa
Cive ſtat infelix Urbs viduata ſuo.
Aſt alias quoque pernicies ſua perculit Urbes;
Perditaque eſt alio gens miſeranda malo:
Dum victum, multo licet adnitente labore,
Abnegat, agricolam fallit & omnis ager.
Omnia tum mœrent latè loca, nec tua dona
Alma Ceres quiſquam, nec tua Bacche videt.
Immò vel herbarum vulgus, ſine nomine fætus,
Vilia quadrupedum pabula terra negat.
Statque tenax pluviarum aer; it lentus avaro
Fonte liquor; putei ſqualet inane ſolum:
Et feralè gemunt arentia flumina, ſeque
Parva piget magno ferre tributa mari.
Sunt aliæ deletæ Urbes, incendia in auras
Terrarum abruptæ dum vomuere ſpecus:
Tunc atrox flamma, Eumenidumque effuſa caminis
Æſtuat, humanos contemeratque lares:
Contriſtantque diem, & multum Plutona vapores

Exhalant, piceaque oppida nocte premunt.
Denique Vulcano grassanti sunt levis esca
Atque casæ, atque arces, atriaque ampla Ducum.
Flumina & interdum Neptuni ab littore retrò
Cessere, & ripis intumuere suis.
Impetus hinc demens, descriptique immemor alvei
Desuper affuso gurgite mergit agros:
Et sata læta necat, seseque licentiùs auget;
Sævit & in cives improbus, inque domos:
Tum veterem exagitant, perduntque domestica gazā
Naufragia: ornatus, divitiæque natant:
Arma natant servata domus penetralibus, exlex
Nec templorum adytis parcere novit aqua.
Arcano tellus alibi commota tumultu
Infremuit, trepido dissiluitque sinu:
Avultasque urbes exhausit hiatibus imis,
Extemplo tumulans millia multa virûm.
Tantos vel trepidans afferre metusque, necesque
Urbibus, & regnis terra maligna potest:
Illa quidem gravis est, & motus nescia moles,
Una gravis sedes corporis, una quies:
Nos tamen ipsa sui incautos ut perdat amantes,
Quandoque ad motum vim levitatis habet.
Quid memorē & miseras urbes, queis sanguineus mars
Tot rapuit cives, excidiumque tulit?
Proh tuba, quæ noctem immani terrore lacessit,
Militibus placidos nec sinit ire dies!
Proh tristes clypei, & thoracis textile pondus,
Et galea, & dirus pugio, & hasta minax!
Proh jacula, & nimbus flammarum, sævaq; sulphura,
Et funda & volucri plena pharetra nece!

Proh

Proh nimium rigidis conflati incudibus enses,
Quos multus docuit Mulciber esse truces:
Funereæ species, & nomina mille malorum;
Exitia heu quantis quanta tulere locis!
Per vim, perque dolos nos, nostraque prrdimus ipsi;
Nec patimur gressu fata venire suo.
Quid nostris, rerum quid fatis addimus alas
Gens nimium nostris ingeniosa malis?
Sat nostra, & rerum festinant ultima fata;
Sat facile, & pronum est, sat breve mortis iter:
Quamvis externa non vi, non artibus ullis
Mors rerum veniat; sponte sed ipsa sua.
Quò turres abjere, aut quo Carthaginis altæ
Mænia? quò populi bellipotentis opes?
Urbs cecidit, periit gens nata ciere tumultum
Martis, & immitis ferro, animisque ferox.
Urbs cecidit, sævis Latium quæ terruit armis;
Romulidum & potuit corda docere metum.
Quære tuos nunc Dido lares, certantiaque astris
Culmina, quære aulas, atria quære tua.
Quære Urbem: tantæ nunc molis nec rude fragmen
Pro teste invenias: jam decus omne fuit.
Roma nec ipsa diù contra obluctantia fata
Stare suis potuit viribus, atque viris.
Et rerum domina interiit, Romæque recenti
Jam dudum substat Roma sepulta vetus.
Quot decora, & ritus trabeata potentia Regum
Intulit! & veteres quot monumenta Patres!
Dein metuenda darent domini cum jura Nerones;
Qualis erat fastus, qualia templa Deûm!
Omnia versa; alius rerum nunc ducitur ordo;

Nunc alia eſt rerum norma, aliuſve tenor.
Multa modò è priſcis ſuperant vix nomine tantùm;
Multis nec ſupereſt nominis umbra levis;
Mors nempe hanc etiam mortalibus invidet umbrã,
Hanc & lethæis denique mergit aquis.
Atria ſtent tamen, ac turres, ſtet porticus, eſto;
Stent Urbis moles, imperiumque potens:
Stet rus, atque domus viridi jucunda receſſu,
Cui det Neptunus regna videre ſuà:
Piſcoſique lacus vivant, fonteſque ſalubres,
Unde vel electro purior unda fluat.
Cuncta forent nobis quamvis vivacia, nos hic
Mortales longùm vivere, fata negant.
Omnes heu miſeri triſtem properamus ad urnam;
Metaque nos, quotquot vivimus, una manet.
Imus eo ſemper, nocturnæque hora quietis
Obſtare haud noſtris curſibus ipſa poteſt.
Ceu ventis animam qui credidit, Amphitrites
Per freta cæca volans, ſtet licet, uſque volat;
Ipſam etenim navem dum plurimus Eolus implet,
Idem vel nauta ſtante per æquor agit.
Sic & viventes extremam ſemper in horam
Nos agimur; miſeros lex ea certa premit.
Non ergo procul è vita mors diſſita, metam,
Quò ſemper propero, non procul eſſe putem.
Lux aderit ſuprema, aderit mihi: luce carebo
Mox vitæ, & modica membra tegenter humo.
Omnibus & ſua lux aderit ſuprema, ſepulchrum
Una omnes reddet conditione pares.
Mortuus effertur pauper, cui culmen agreſte,
Atque humilem quondam fecit arundo torum:
Et

Et rude nunc feretrum intextæ dant vimine crates;
Funeris inque decus nulla querela præit:
Nulla comes pompa est, nec picto in stemmate luctus
Nobilis, aut pullæ vestis inanis honor.
Mortuus at contra hinc effertur dives amictu
Lugubri; queruloque æra sonore crepant;
Vulgò exauditur tristis querimonia, ubique
Compita feralis vox ululare docet.
In feretri sponda, fulvi spectanda metalli
Plurima stat species, dedaleusque labor:
Nempe auro insculpta est Libitina, & sæva videri,
Aurea quantumvis jam Libitina potest.
Dum falcato auro pretiosum pendet in ictum,
Quo passim humanum demetat una genus:
Dumque horæ momenta Tagi metitur arena,
Designans pretium temporis in pretio.
Divitis extincti hic honor, hæc & pompa suprema est:
Haud ultra humanis luxibus ire datum.
Venit ubi ad tumultum exile, atque exãgue cadaver;
Extincto nihil à divite distat inops.
Deseruit Dominum fastus; discrimine nullo
Sub terræ latebris dives, inopsque jacent.
Non Cræso minor Irus erit, non major & Iro
Cræsus; ubj involuet pulvis utrumque suus.
Ante tamen, pulvis quàm fiat, inanibus esca
Vermibus heu fato fiet uterque pari.
Per vultus, ubi tot veneres industria quondam
Pinxit, naturam vicit & artis ope:
Per caput excelsum, perque ora verenda, decorisque
Assuetas sceptris, imperiisque manus:
Per ventrem, cui tot peregrinus prandia Nereus

Misit, & innumero territa silva cane,
Et nemus, arbustumve, auceps quò mille plagarum
Congerit ambages, ancipitesque dolos;
Mox agmen tinearum ebulliet, imaque jugi
Viscera peruadet comminuenda fame.
Exanimem Augustam Dux olim Borgia spectat;
Dum temerata nigro membra cruore scatent;
Dum sua destituit frontem, & cava tempora pellis;
Dumque oculos supra marcidus humor hebet.
Spectat, & oppresso excludit suspiria corde
Fervida; tum tristi talia voce refert.
Hei mihi quam mæsta intueor spectacula! quantum
Prodigii hæc nobis flebilis urna gerit!
Hoccine magna tuum Regnatrix corpus? ut omnis
Majestas cessit! cessit ut omnis honos!
Non hìc non quidquam est augusto nomine dignum:
Lurida pauperies, pallor, & horror inest.
Lumina, tot dudum aspectu jaculata pavores
In scelus, en mortis diriguere gelu.
Obruitur tabo vertex, qui gentibus idem
Innumeris nutu spesque animosque dabat.
Quas dudũ implevere manus sceptra, en modo squa-(lor
Possidet, atque ater vermis, & atra lues.
Quàm libitina tibi fotmas invertere rerum;
Quàm tibi grassari per caput omne licet!
Quàm fugitivus honos hominum, quã gloria vana es,
Quæ subito mortis turbine tacta ruis!
Nil serta, & laurus, currusque, & pompa triumphi
Nil habet: in feretrum desinit omne decus.
Sic & purpureo vernans in flore venustas
Solvitur, & fumus flante, reflante noto:

Sic

Sic brevis eſt, cum ſe Thaumantias arcuat, & cum
Nimboſum exornat roſcida Zona Jovem.
Auratos colui cineres, fucoque latentes;
Qui me decepit, fucus inanis erat.
Quid ſceptrum, & faſces, frontis diadema quid eſſet,
Nunc mihi compertum eſt, inſcius ante fui.
Profuit oh quantum Auguſtæ vidiſſe cadaver!
Quanta videre dedit funebris ille color!
Auguſta in ſolio quamvis mihi multa dediſſet,
In feretro exanimis plus tamen illa dedit.
Fortunent alios Regnantum ſceptra, beatum
Me nunc Auguſtæ veriùs urna facit.
Quid moror? Ah ſatis eſt, tot me vixiſſe per annos
Eluſum; en triſtes jam patuere doli.
Jam tempus ſapere eſt; jam muta cadavera ſuadent:
Quid moror? Ah tandem mens mea rumpe moras.
Nunc aliud me conſilium, vitæque tenorem
(Senſi etenim) æternum numen inire jubet.
Nunc noſtrũ obſequiũ Divumq;, hominũq;poteſtas,
Æternumque manens illius Aula petit.
Hujus Rex Aulæ non fato amittitur ullo;
Tantum illo caream, ſi caruiſſe velim.
At vitio amiſſum, penitus ſi corde dolebo,
Amiſſum inveniet protinus ipſe dolor.
Id pretium eſt, cujus damnum facit una voluntas,
Quodque iterum ut reparem, ſat dolor unus erit.
Hos hauſit viſo de funere Borgia ſenſus,
Hos bene turbatus reddidit ore ſonos.
Vivendi metam cum fædo in funere vidit,
Facta illi eſt veræ meta magiſtra viæ.
Quiſquis amas verum, porro ſapis, aſt ubi tandem

Illud amans quæras, ſedulus ante puta.
In feretro, in tumulis, interque cadaüera quære;
Mentiti hæc nimium vita coloris habet.
Eſt auro verum longè pretioſius, hoc tu
Hoc animo pretium, divitiaſque para.
Vis aurum in terris ſcrutans diteſcere; verum
Scrutare in tumulis, & bene dives eris.
Volve animo tabem, cinereſque revolve ſepultos;
Sint animi memoris nigra ſepulchra, domus.
Non hujus te cæca domus nox terreat, illa
Proh quantum cæca in nocte videre datur!
Nocte videre datur qnidquid non ante videbas:
Nox quocunque tibi eſt clariot illa die.
Ergo urnam, & cineres reputa; hinc præſentia (ne te
Decipiant) quid ſint, quidque futura, vide.

COmpertum eſt, id ſæpe contingere in rerum natura, ut quos Deus per egregias animi dotes ipſis liberalius inditas conſtituit in hominum ſocietate emiuentiores cæteris, ſibi propinquiores, ii nec ſecundis fruantur rebus, nec conflictentur adverſis, quin lætitiæ, aut mœroris ſui conſortem habeant ſimul, totum penè orbem terrarum. In magnis animis nihil non magnum, nihil non amplum, nihil non auguſtum; ipſorum etiam affectiones ampliſſimè patent, & ad alios uſque communiter derivantur, perinde quaſi ex una ipſorum vita pectora quoque mortalium cæterorum animentur, ac ſpirent. In ſumma Optimatum nec eſt privata calamitas, nec felicitas: quicunque non ſoli vivit ſibi, huic triſtari, aut gaudere ſoli non licet. Jure igitur nos putamus

fa-

facturos, si ob faustissimam sortem illius præcelsissimę Virginis, quam Deus ipse destinato è superis sedibus angelico nuncio in suam sibi Genitricem delegit; mundum hodie universum per elegiacam poesim gaudentes invitemus ad gaudia.

Virgo ab Angelo salutata.

CARMEN II.

PAnditur, & nobis facilis jam ridet Olympus;
Mortales miserum solvite corde metum.
Vos quoque Divûm animæ ferali parcite questu;
Quas cohibet tellus interiore sinu.
Sat Cœlum vestri gemitus tetigere; vocatum
Votis ætherea Numen ab arce venit.
Lætitia exultet Vates Jessæus, & omnes,
Olim venturum qui cecinere Deum.
Exultet pius Abramides, in monte necandi
Numinis expressus qui fuit ante typus.
Quamquam hos nocte premit Deus, & caligine cæca,
Haud sinet æterna luce carerę diù:
Eruet umbroso detentos carcere, & atras
Fatalis rumpet carceris ipse fores.
En sibi delectæ immensus subit hospes in alvum
Matris; & impletur casta puella Deo:
En propior nobis humanos induit artus,
Quæsitam miseris exhibiturus opem.
Virgo puellarum fortunatissima, mundum
Cui dabitur fætu mox recreare suo;
Humanam & Gentem inferni ditione Tyranni
Eri-

Eripere, ac Superum conciliare Patri.
Ut morſu fregit pomumque, & juſſa Tonautis
Primus homo; ad ſuperos invia facta via.
Hinc priſcæ fidei Patres, dum vita manebat,
Inſtabant querulis aſtra ferire modis:
Stellanteſque globos ſpectabant, & ſua quondam
Regna, per exangues imbre cadente genas.
Flebant; captivi ut flerunt Babilonis ad undas
Iſacidę, patrias cum meminere domos.
Tempore quo tandem (miſerorum vox erat una)
Tempore quo cœli dulce patebit iter?
Ah poſtes reſera Deus optime, neu tua noſtros
Arceat acceſſu Regia ſancta pedes.
Heu noſtrum nimis exilium producitur; & nos
Labentis vitæ damna nec ipſa juvant:
Nam vivacis adhuc poſt ultima fata ſenectę
Cogimur è patriis finibus ire procul.
Jam noſtræ ceſſant præ luctu in carmina voces;
Et pro carminibus mæſta querela ſonat.
Jamque ſilent nervis cytharæque, lyræque remiſſis:
Pendulaque arboribus nablia noſtra ſilent.
Scilicet ipſa olim bene conſona mentibus ægris
Feſtivas refugit dextra ciere fides.
Ah poſtes reſera Deus optime; neu tua noſtros
Arceat acceſſu Regia ſancta pedes.
Hic divorum animis jugis mæror, gemituſque;
Jugis & hæc noctu cura, diuque fuit.
Numinis ò Genitrix, quòd non urgetur eodem
Noſtra dolore dies, muneris omne tui eſt.
Flos ò Nazareæ gentis, tutela, decuſque
Virginum, & integra virginitate Parens,

Per

Per te difpereunt noxæ patrimonia avitæ;
Pectoraque incipiunt fpe meliore frui:
Infenfufque draco premitur, preffoque dracone
Tutior ad cœli gaudia rrames erit.
Nunc ergo decet & lituos animare loquaces,
Et docilem digitis folicitare lyram:
Nunc ver approperet flores educere, fertifque
Approperet pietas templa hilarare novis:
Exponant fpeciofa fuas aulæa figuras,
Dędala quas phrygio vulnere pinxit acus.
Cinnama votivas fpirent pretiofa per aras;
Fumet & exufto thure Sabæus honor.
Hanc tibi lætitiæ pompam, hæc infignia laudum
Cultores debent diva Puella tui:
Omne tibi noftri pignus voveatur amoris;
Ipfe tamen præeat pignus amoris amor:
Efto munus amor primum, tibi munere in omni
Nam Solus primum ut munus amatur amor.

BEata Virgo cùm primùm ab Alite, qui defuper adfuit, Nuncio, & fe Dei hominis Matrem futuram, & Elifabetham, quæ fobolis defperatione in extremum prope fenium devenerat, parituram cognovit, e veftigio fæcundam invifere cognatam fuam perrexit, videlicet ejus afflatu fpiritus adurgente, qui fi quem penitus numine fuo imbuerit animum, eum in primis tarda docet molimina dedignari. Hoc fæcundæ Virginis ad anum fæcundam iter elegis noftris profequemur canendo. Nec dubium, quin aufpicatò, & fecundiffimis ituri fyderibus videamur, quando certum eft, ipfam fyderum

Regi-

Reginam euntem ſequi poeſeos noſtræ utcumque pedeſtris, ſed piæ tamen & pedibus, & obſequiis.

Virginis iter Eliſabetham inviſentis.

CARMEN III.

QUò te diva pedes ſuperis gratiſſima Virgo?
Quamve almo ingrederis Numine fæta viam?
Jam patulos pervadis agros, & amæna vireta;
Et tibi dumoſum jam ſuperatur iter;
Et quæ ſylvarum pallentes ducit in umbras,
Haud arcet greſſus ſemita nigra tuos:
Aeriæ haud obſtant rupes, nec culmina montis
Ardua, nec multa turgidus amnis aqua.
Novimus at, ſuperes tantos qua mente labores,
Novimus, & tantum quò tibi tendat iter.
Scilicet alta petis magni penetralia vatis,
Cui thalami juncta eſt fædere Eliſa viro;
Cui fari divina datum eſt divinitus; & quem
Ipſe etiam fandi nobilitavit obex.
Conjugibus tandem his ſummus rerũ annuit Author,
Conjugio optatum dum dat habere decus.
Ergo ut promiſſi fætus gratere Parenti,
Longum Diva juvat te ſuperare jugum:
Hinc petis aerii ſalebroſa cacumina montis;
Hinc properante volas lata per arva gradu.
Flammea ceu quondam celerans veſtigia cerva
Sinceri liquidas fontis anhelat aquas;
Progeniem aut dulcem, caroſque reviſere nidos
Ceu properat pennis pulchra columba ſuis.

Sic

Sic plantis ò Diva tuis amor addidit alas;
Addidit & vires officiosus amor.
Interea innocuis vos cognita rura colonis,
Vos ò gramineis jugera picta toris;
Quæ rore algentis gemmantia matutino;
Quæque novus verno tempore vestit honos:
Jam vos multigenas par est adolescere in herbas;
Floreaque è facili promere serta solo:
Ut cùm auræ afflabunt undantia prata tepentes,
Se longè, & latè fundat amicus odor;
Et latè fusus divam comitetur euntem,
Virgineo vestram quæ pede tangit humum.
Cui subdit radians argentea cornua Phæbe;
Sydera pretexunt cui duodena caput;
Cui Deus ipse suo complevit viscera Verbo;
Cui dedit astriferi jura tenere Poli:
Hæc modò tanta Parens, tanta hæc Regina patentes
Festinat campos alite inire pede.
O ter felices campi, quibus omina læta
Visu, atque incessu Diva suprema tulit.
Non vobis posthac steriles metuentur avenæ;
Non rubigo novas segnis aduret opes:
Nec tristis grando surgentes tundet aristas;
Planta nec insano turbine quassa ruet.
Nec vitio astrorum, nec tabe nocentibus auris
Induet informem gleba subacta situm.
Provenient celeres jacto de semine fætus;
Semina multiplici fænore reddet ager.
Arbor odoratis pomis uberrima fundet
Brachia; ridebit pinguis ubique Ceres:
Explebitque avidi non sobria vota coloni
Mu-

Muneribus tellus fertilis usque novis.
Nonne leves flatu Zephiri lactentia mulcent
Gramina; & infusis irrigat auster aquis?
Nonne & inexhausto fæcundus lumine Titan
Ipse per illapsus educet arva suos;
Ipse suum quamquam ductare per æthera currum
Gestiat & nostris longius ire plagis?
Ergo & Nazaridos præsentia numina Divæ,
Cui vestra libitum est ire, redire via;
Haud vos accumulent felicia prata benignis
Frugibus, & florum luxuriante coma?
Nullaque calcatis monumenta relinquet in arvis,
Quæ millena suo numine dona parit?
Agrestes hæc sperabunt, serique nepotes,
Per quæ lætitiam, divitiasque parent:
Discant si, qualis peragret sua jugera Mater;
Transeat & quantus per sua rura Puer.
At vos prærupti colles, mæstique recessus
Lucorum, Solis pervia tecta feris,
Vos quoque, dum vatis dilecta ad limina tendit,
Metitur gressu præpete Diva Parens:
Illius & vestros decorat præsentia calles,
Squalidaque illustrat lumine lustra novo.
Hinc vobis absit licèt omnis gratia frugum,
Attamen haud omnis possit abesse decor.
Dum montes aper, & sylvas dum cervus amabit;
Aera per vacuum dum vaga ludet avis:
Vivet vester honos; nulloque abolebitur ævo,
Quin rerum exitiis fama superstes erit.
Dicet vestra videns non immemor antra viator,
Hàc olim egit iter maxima Diva suum:

Dicet &, hæc quondam tellus, hæc numen euntis,
Hæc ſenſere ſacros frigida ſaxa pedes.
Sed jam Diva videt quæſitæ culmina ſedis
Proxima; quæſitam jam ſubitura domum eſt.
Conſpicuos ò, quantumvis & divite luxu,
Gemmarum & careant luce nitente, lares.
Quid ſibi, quid tandem tellus Romana theatris,
Porrectiſque foris, porticibuſque placet?
Non; etſi extructis ſurgant laquearibus aulæ,
Undique & exornet ſplendida gaza domos;
Atria tenariis maneant ſeu fulta columnis,
Seu propè pyramidum, ſydera pulſet apex:
Non Romæ fas ſit ſacris contendere tectis,
Quæ Virgo ingenti pignore læta ſubit.
Hęc domus, hęc ampla eſt, proles quã Virginis implet,
Quamque implet Virgo Numine plena ſuo:
Divina hoc Genitrix, Puer hoc, ad luminis auras
Nec dum egreſſus, adit jam penetrale Deus.

IN hoc fœcundo lacrymarum Solo miſeri vitæ præſentis amatores, & oſores beati communiter lugent utrique, ſed non communis utriſque lugendi occurrit cauſa: amatoribus enim, dum præſentia nimis affectant, aut jacturæ metus infelix, aut jactura infelicior triſtitiam facit: oſoribus, dum concupiſcunt futura, diuturnior in præſentibus mora, faſtidia provocat; unde velut in exilio detenti, ac ſuſpicientes in Patriam, gemitu, lacrymiſque ſuis quàm nobiliter, tam feliciter intabeſcunt. Horum jucundiſſimæ ſunt lacrymæ; at illorum luctus, gemituſque, tartari rudimentum. Ex odio præſentium,

tium, & desiderio pariter futurorum velut è gemino, & quidem limpidissimo fonte defluxerũt olim Aloysii Gonzagæ lacrymæ; felices proinde lacrymæ, & risu quolibet potiores. Has lacrymas flebilibus elegiæ modis memorare sic placet, ut ab sapientissimo earum documento denique nobis perspectum fiat, quàm doleamus ineptè, quàm ineptiùs gaudeamus mendaces plerumque in stateris nostris plerique mortalium. Beatum igitur Aloysium beatè dolentem, ac lacrymantem in hos ferè sensus atque in has ferè voces accipite.

Piæ Beati Aloysii querimoniæ.

CARMEN IV.

PEr noctem, atque diem longo mihi corda laborant
Singultu; jugis lacryma & ora rigat.
Quodcumque aspiciam, suspiria protinus illud
Evocat, & luctus innovat usque meos.
Si spectem census, & opes, oh quàm miser omnis
Census, & ipsę inopes esse videntur opes!
Sique animo memori ventosa occurrerit aula:
Hic mihi tùm puero displicet acta dies.
Quid mihi stemma vetus? quid nobilitatis avitæ
Pompa? Triumphalis quidve trophęa domus?
Quidve apices rerum prosunt, tituli que sequaces?
Latiùs extentæ quid ditionis honor?
Fama quid aspirans populi rumore secundo,
Dùm blandum, & mendax euge per ora sonat?
Quid viles famulantum animæ, & venalia semper
Obse-

Obſequia heù tandem quid mihi frugis habent?
Suſpicio Cœlum; dum grata oblivia vitæ
Senſibus infundit nocte ſilente ſopor:
Suſpicio, labes atri dum nulla vaporis
Invidet humanis ſydera luminibus:
Mox ubi reſpicio poſt hæc ſpectacula terras,
Labitur ex oculis plurima gutta meis.
Qualis, ubi aſpectu cœlum metitur inarti
Captivus, pœnam duplicat ipſe ſuam:
Qualiter aut inopi, nummos ubi vidit, egeſtas
Durior eſt, & opum dira cupido ſubit.
Haud ſecus æthereos proſpectans eminus orbes
Nolim ipſe æthereis orbibus eſſe procul.
Sed procul eſſe tamen cogor, cum ſurda petenti
Extremum mihi mors differat uſque diem.
Quæ præſens unquam tanto medicina dolori;
Quive modus tantis luctibus eſſe queat?
Quid rerum pariet mihi gaudia, dum ſinè luctu
Cernere nec Cœlum, nec licet aſtra mihi?
Quod gemitus lenire unum, triſteſque levare
Quod valeat curas, hoc Pater ipſe vetat.
Patris amor vetat in terris mea vota beari;
Proh nimiùm Nato pernicioſus amor!
Ut modò certum erat è patriis excedere tectis,
Atque Ignatiadum ſigna beata ſequi!
Quippe urget ſuperum inſtinctus, Numenq; ſupremũ
Urget; at adverſus ſtat modò Patris amor.
Sic Natum Cœlo prohibes parere vocanti?
Sic inſtas Nati ludere vota Pater?
Sic perſtas Pater, atque audes obſiſtere Cœlo;
Nec me vox Cœli quò vocat ire ſinis?

Ne tibi, qui Cœli properantem juſſa, moraris,
Immineat Cœli vindicis ira, time.
Hoc mihi mõſtrat iter ductor Deus, hoc mihi pandit:
Hac Deus ad ſeſe me jubet ire via.
Ergo viam ne claude Pater, Natique precantis
Ah rogo, nunc melior vota ſecundet amor.
Indue nunc meliorem animum, ſenſuſque benignos
Indue, neve tuus ſit mihi tortor amor.
Cum te cogat amor Nati pia ludere vota;
Aut hic amor non eſt, aut tuus odit amor.
Parcendum verbis: nova tentamenta requiram,
Ni facili noſtras excipis aure preces.
In me flagra, & ferri, atque æris acumina vertam,
Adiiciam villos, adiiciamque vepres;
Corpus & hoc ſubigã, membra hęc, artuſque nocentes
Multiplici vindex aſperitate premam:
Me me ipſe afflictem, forſam tunc voca Parentes
Non mea torquebunt, cum mihi tortor ero.

*Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Sperelli * in Urbem Interamnam adventus.*

NAr fluvius lætabundus, ac Romano Tyberi gratiam referens, tantique Paſtoris ſibi traditi virtutes egregias curſim enarrans per elegiacum carmen oſtenditur. Nec ſanè noſtram dedeceat poeſim flumen effingere tanquam gratulabundum, quando vel ipſa in pſalmis divinæ poeſeos dignitas dedignata nequaquam eſt montes ſicut arietes, & colles ſicut agnos ovium exultantes, atque etiam flumina quaſi manu plaudentia decantare.

CAR-

* *Fuit nuper ab Innocent. XII. inter Cardinales adſcriptus.*

CARMEN V.

RETtulerat memorem redivivi Numinis annus
  Cùm Zephiro terras exhilarante, diem:
Dum ſeſe reparat natura; novuſque lyæus
  Gemmarum primis emicat indiciis:
Tunc ego Pyrenen, miſerumque Helicona reliqui,
  Curarumque omni fænore liber eram:
Palladiæque libens ſecura oblivia vitæ
  Carpebam ad rivos exilientis aquæ:
Sæpe inter ſaltus, nemora inter frondea ſæpe,
  Præruptaſque vias aggrediebar iter:
Vernantes propter ripas mox leniùs ibam,
  Quà liquidum Naris ſulphur, & ira furit.
Hìc verò ſubitum, ac dictu mirabile monſtrum
  Eſt animo exhibitum, luminibuſque meis:
Qualia nimirum parnaſius excitat ardor,
  Cum vera haud veris ſignat imaginibus.
Nar etenim pater ipſe ſua caput exerit unda;
  Najadeſque agitant, vitrea turba, choros:
Atque inter ſalebras, lapidumque obſtacula vox hæc
  Aſſiduo undarum murmure miſta venit:
I rapido præter ſolitum pede flumen, & omnes
  Eluctare magis per tua ſaxa moras;
Jamque tuas undas ſuperingere Tybridis undis,
  Auctior acceſſu quò fluat ille tuo.
Id quamquam ſemper, nunc jus magis omne requirit;
  Debet id obſequii Nar tibi Roma, tuus.
Haud ingens fuerit, dat noſtra quod urna tributum;
  Obſequii ingentis ſed tibi pignus erit:

Si fluctus dem, Hetrusca quot explicat Amphitrite,
Par meritis valeam non tamen esse tuis:
Nam rerum mihi dulce decus, columenque mearum,
Certaque adest, nuper te tribuente, salus.
Urbs mea, quæq; meũ, ac Tyberinũ interjacet amnẽ,
Sperello per te Præsule læta suo est.
Soliciti munus quàm pulchrè is Præsulis implet;
Et sacri partes excubitoris agit!
Illius multa decoratur Pallade pectus;
Priscorum & ritus, canaque jura tenet:
Et recti sensum, normamque tuetur honesti,
Et quidquid Superum lex, ratiove monet.
Nobile regnum habet ipse sui, ac numquã nisi mentis
Excita imperiis, ipsius ira calet.
Virtutum in gremio pietatis lacte fovere
Illi cura suum nocte, dieque Gregem.
Cedite, Cocyti qui tristia regna Leones
Incolitis, nulla est vis metuenda mihi;
Dum tantus nostræ Pastor, Tutorque saluti
Intenditque animos, excubiasque gerit.
Vosque lupi immanes hinc cedite, queis mala semper
Fallere, & insontes perdere cura sedet.
Sperellus vestras generosus frangere vires;
Et catus est vestros ludere mente dolos.
Hæc Nar; tum verò assultans ter protulit, ac ter
Sulphure demersit tempora cana suo.
Denique se totum, Nymphasque sub ima sequaces
Abripit; & plausu proxima ripa sonat.
Consonat omne nemus pariter, circumque, supraque;
Ac sese ingeminans vocis imago redit.

Se-

SEnex miserandus absenti amico describit cum luctu, & lacrymis suam à fundamentis subrutam Civitatem vi terræmotus multo sane majoris, quàm is fuerit, quo Æmiliam ferè totam conterritam, & nonnullis in locis etiam contritam ante aliquot annos * audivimus. Vel hoc igitur uno omnium se Civium calamitosissimum deflet, quòd ipse pene unus communi Civium omnium calamitati superstes vivat.

EPISTOLA.

CARMEN VI.

FOrsitan & vestras infaustus rumor ad aures;
　Quæ nos exagitant, fata sinistra tulit.
Perdidimus (Superis sic visum) Urbemque, laremq;;
　Quod valeat nemo perdere, perdidimus:
Terra etenim nobis sese subduxit, & altum
　Jam baratrum est, tritum quà fuit ante solum.
Crudelem licuit vix ulli evadere casum,
　Incolumem tantis & superesse malis.
Abstulit una dies, ætas quot protulit una;
　Mersit & innumeras una ruina domos.
Incola nunc vasta sum talis in Urbe relictus,
　Deucalion vacuo qualis in orbe fuit.
Si tamen hæc Urbis saltem sit nomen, & umbra,
　Quæ propè deserti littoris instar habet.
Crimine quo Numen læsum est, cùm vindicis æqua
　Numinis oppressit tot simul ira viros?

* Anno circiter 1673.

Cum quaſſas ædes, urbemque à ſtirpe revulſam
  Turbine tartareo laxa voravit humus?
Heu mihi cùm pimùm ſpectacula ſæva retracto;
  Ut novus excruciat ſaucia corda metus!
Nutantes iterum videor mihi cernere turres,
  Summaque fornicibus templa ſoluta ſuis.
Finge animo, phrygiis ſteterãt quę immota columnis
  Atria, pulſa ſuis nunc trepidare locis:
Finge ruinoſis ſaxorum fragmina tignis,
  Fulcraque tectorum præcipitare, trabes:
Pyramidum ſumptus jam pridem ad ſydera ductos
  Obrui ab immenſis finge voraginibus.
Celſaque ruptarum faſtigia finge domorum,
  Urbis in exciſo ſemiſepulta ſinu:
Ferales reputa cumulatæ ſtragis acervos,
  Miſta puellarum funera, miſta ſenum.
Triſtia quæ tu cumque animo ſpectacula finges,
  Sunt perſpecta mihi, luminibuſque meis.
Omnia & extimui infelix mala, & omnia vidi;
  Omnibus infelix jamque ſuperſtes ero.
O utinam aut primis vitam me ponere cumis
  Juſſiſſet velox ad mea fata Deus:
Aut ſaltem primo teneræ lanuginis ævo,
  Tranquillum dum ætas florea ver ageret.
Tam dira haud equidem ſpectaſſem tempora; vivax
  Cogerer haud mæſtis illacrymare modis.
Hìc, ubi noſtra fuit quondam domus, herba virebit:
  Hìc erit & noſtro ſanguine pinguis ager:
Atque hìc (proh ſuperi) duris ferientur aratris
  Condita nunc magnis oſſa ſub aggeribus.
Felices, quorum tantis ſunt lumina monſtris
Clau-
fa-

Clausa, malæ quamquam succubuere neci.
Non his concessum Patria vivente perire;
Concessum tamen est cum moriente mori.
Me me tot damnis invitum fata reservant;
Meque jubent post tot vivere damna senem.
Vivo, sed in Patriæ communi vivere clade
Pejus, quàm gemina clade perire fuit.
Si miser est exul, Patriæ quoniam perit, an non
Sum magis ipse miser, Patria cui periit?
Ille procul Patriam, sed præsens ipse requiro
In Patria, Patriam nec reperire datur:
Non est à Patria semper procul ille, sed ipse
Sum procul à Patria semper, ubique procul:
Si quis enim eversa superest modò civis in Urbe,
Vix Patriæ exiguum, ac triste cadaver habet.

QUidam latinæ simul, italicæque eloquentiæ professor, qui in celebri Civitate unanimi Civium suffragio & publico ære invitatus ludum docendi aperuerat, labefacta è studiorum laboribus valetudine post aliquot annos aliò vocatus est. Nunc itaque loquitur de suo ad minus nobilem Urbem ac gymnadem adventu. Invaletudinem suam præteritam hujus adventus causam describit. Multa item de domicilio, ubi habitat, deque ejus angustiis, & incommodis recensendo conqueritur. Denique suum exinde in Urbem Romam discessum, quem propediem futurum esse, congnoverat, gratulatur. Quapropter utrumque elegiaco suo carmini colorem, alterum videlicet luctus, hilaritatis alterum appingit; quando uterque illorum (attestan-

te Horatio in Arte) versibus impariter junctis aptissimè convenit, utpote quibus querimonia primùm, post etiam inclusa est voti sententia compos. Interim breviore quadam cantiuncula explorator sui quasi tentabundus sic ad longiorem cantum proludit.

ÆOlias hyemes, & mistum Nerea Cœlo
Sæpe videt pavidus Navita, sæpe dolet.
At canit hæc, fruiturque suo discrimine victor,
Perfunctum exitiis dum sua tecta tenent.
Sic me dum superi, dum fata sinistra premebant,
Possedit tacitus tristia corda dolor;
Tempora sed rident mihi dùm meliora, camænam
Aspera victricem fata referre juvat.

Hominis è lætis ad tristia, è tristibus ad læta iterum transeuntis affectio duplex, tristitiæ, lætitiæque vicissitudine adumbatur.

CARMEN VII.

EXcepit Domina venientem ex Urbe Quirini
Me primùm aeriis ardua......... jugis:
Hìc Latii priscam exposui, nitidamque loquelam,
Et labe intactnm, barbarieque stylum.
Exposui quidquid torrentis copia Tulli
Effudit pavidis auxiliata reis:
Quasque minas armorum, & quæ Mantous Apollo
Intonuit grandi bella cruenta tuba:
Et quæ versarum Nato miracula rerum

Fer-

Fertilis ingenio progenerante tulit.
Concinuit per me Venusini & gratia plectri,
Centenos felix ire, redire modos.
Quæ sint, monstrabam, nunc thusca vocabula, & usu
Quæ vigeant, annis obsita quæ jaceant.
Monstrabam & leni Petrarcham tramite euntem,
Et doctas salebras Dantis Aligherii.
Quàm me tunc labor hic animi, quàm cura juvabat
Sedula, & in lucem penè lucerna vigil!
Quandoquidem plenæ tum Gymnadis aura favebat;
Usque novam & menti suppeditabat opem.
Id mihi apollineas curas, doctumque laborem,
Quamquam & nocturnum, jusserat esse levem.
Succubuit natura tamen, dum corporis omnes
Exhausit vires mens operosa diù.
Artubus æger eram totis; totoque jacebam
Protinus exanguis pectore, voce minor.
Fugerat ore color, maculaverat horrida tales
Lumina; squalebant livida labra situ:
Defossæque utrinque genæ, penitusque latentes
Fila minabantur ducta suprema mihi.
Obtusum cessare caput, multique soporis
Jussum est auxilio vim reparare suam.
Per longas, rerum sat longa oblivia, noctes
Ducere, & in medios cœpimus usque dies:
Perque annum segnes non unquam vidimus horam,
Qua reducis monstras Posphore solis iter.
Idque adeo Medici sententia sæva monebat;
Quo poterat nobis durius esse nihil:
Castalios colubri vel sanguine cautiùs haustus
Effugerem, ut vitæ nigra venena meæ.
Tempero jam libris, cedo jam gymnade, dicor
Mi-

Miles & immunis commeruisse rudem.
Unum illud studeo, studiorum ut lassus, amænis
Lusibus ingenio liberiore vacem.
Hactenus at placidis usus (quamquā hæc quoq; censet
Aspera, librorum qui sedet altus amor:)
Sum, fateor, placidis usus; decreta subinde est
Deterior nostris heu medicina malis.
Continuo .... jubet is decedere, cujus
Nutum instar nobis Numinis esse decet:
Annua tuque mihi dicta es .... sedes;
Proh damnum duplex! quò feror! unde feror!
Imperor & denis ubi mensibus esse Magister
Ipse ego, quem vidit Rhetora .... suum!
Me gravis, inque humili .... valle palustris
Nunc habet, & Cœlo prægravat ipsa suo.
Scilicet huc me missum ajunt, sim commodus uni
Ut mihi, dum exigua in Gymnade Doctor ero:
Dum paucos simul, & faciles moderabor alumnos
Leniter; & circum jurgia nulla frement.
Interea Gymnas, longas ubi degimus horas,
Horret, & in miseram desinit atra specum.
Non ea solstitio, non verno ridet aprili,
